


EMBLEMATA PHYSICO-ETHICA,

hoc eſt,

*N*ATVRÆ *M*ORVM *moderatricis picta præcepta,*

à NICOLAO TAURELLO Montbelgardenſi, Phyſices & Medic. in Altdorfenſ. Noric. Academia Profeſſore obſervata, & vario conſcripta carmine.

Editio ſecunda.

NORIBERGÆ
Typis Chriſtophori Lochneri.
M. DCII.



GENEROSIS, ET NOBILISSIMIS IUVENIBUS PROCOPIO, ET PETRO PIENASCIIS DE KRUSSLOVA, FIliis honestæ memoriæ generosi, & magnifici D. JOHANNIS PIENIAZECK subdapiferi terræ Præmisliensis: Dominis meis amicè, & reverenter observandis.

SÆPE mihi de generosi, & magnifici parentis vestri pietate insigni, & singulari erga Literatos amore jucundißima fuit commemoratio. Sæpe etiam quo mecum vixistis tempore (nobilißimi juvenes) vestra ex cõversatione magnã cepi voluptatem. Adeò vestra mihi

modestia, & suavis placuit morum honestas. Atq; ita multũ vestri parentis amorem auxistis: quem magnarum ejus virtutum admiratio, meum in animũ induxerat. Et vos etiam vestrum ob patrem vobis meritò charissimum: eô mihi fuistis acceptiores. Vt ergo meum erga vos amorem multis testatum facerem: patri vestro mea hæc emblemata dedicare constitueram. Sed ut sors fert humana: dum paulò diutius nostra differtur editio: casu mihi & gravi, & noxio: vobis verò tristi & luctuoso: ex hac ipse vita decessit. Quomodo id sæpe fit, irritum: in quo multùm spei ponimus. Verùm ut à meo proposito: quoad ejus fieri posset, minimùm

nimiùm recederem: vobis id deberi judicans: quod vestro patri destinatum fuerat: hoc qualecunque sit munusculum nobilissimo vestro nomini dicare & offerre volui: certa spe fretus, vos hoc animo non minus alacri, & benevolo recepturos esse: quam vestro fuisset à patre receptũ. Quod certè ut sperarem: vester etiã fecit inspector D. Hieremias Debrovius, juvenis honestissimus & doctissimus: qui mihi vestrum erga me amorem, quantus sit, non obscurè significavit. Hæc cum ita sint: meritò vos hoc ipso tẽpore apud me esse gaudeo: quo mea hæc emblemata denuo in lucem prodeunt. Deus Opt: Max: diuturnam vobis, pro-

 speramq;

speramq́; valetudinem, & fœlicem rerum successum benignè largiatur. Altorfi 15. Martii Anno M. DCII.

Vestro nobiliß: nomini

addictißimus

Nicolaus Taurellus Medic. Professor.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

ECCE tibi Lector benigne novi quid apportem. Naturam hic habes viventem, & prudentem: optimam vivendi ducem, morumq; moderatricem. Quæ nec viva tamen est, nec intelligens: nec anima, nec mente prædita. Versus hic etiam habes emblematicos. Quo quidem scribendi genere miraberis fortè non injuriâ, me Aristotelicæ Philosophiæ, & Medicinæ Galenicæ Professorem, ætate jam ad senectam vergente potuisse delectari. Quod certe studium pueris potius, vel adolescentibus poëseos studiosis convenire videtur. Et hujusce quidē generis multa sunt ab aliis in lucem edita: quæ studiosæ juventuti satis accepta, gratáque sunt. Atque hæc de emblematibus. Quæ verò iis adjecimus: omnino à proposito videntur esse aliena. Nempe quod unicuique studioso suum emblema seorsum dicaverimus: & appo-

ſitis etiam inſignibus: quæ ferè plus interdum occupant ſpacii, quàm ipſorummet emblematum picturæ. Cum itaque non dubitarem quin hæc aliquos offenderent: meritò huic incommodo fuit occurrendum: quod aliter fieri meliùs non potuit: quàm ſi rationem inſtituti mei paucis redderem, & exponerem.

Non equidem inficior, quin me ſtudiis gravioribus addictum eſſe oportuerit: quę meam decerent, & exornarent profeſsionem. At neque hoc à me neglectum eſt. Nam in id quò potui ſtudio incubui: ut non meis modò ſatisfacerem auditoribus: ſed & aliis etiam compluribus phyſice, & medicinæ ſtudioſis, editis in lucem meis lucubrationibus, gratificarer, & prodeſſem. Sed ut ſunt tempora, typographicæ merces ſpretæ jacent: neſcio quo vel literarum contemptu, vel injuriâ bellorum: ut typographis hoc vitio dari non debeat: ſi librorum à ſe edendorum hunc delectũ habeant: probentque non qui ſint optimi, ſeu qui citò diſtrahi poſsint. Quo etiam nomine juris, & Theologiæ ſtudia florent inter cætera maximè, Philoſophica verò

quo

quo ſint in pretio, res ipſa evidenter docet. Italiam excipio: cuius nobilitati philoſophia potiſsimum curæ eſt: loco venationis, & compotationum: more, & conſuetudine verè nobili. Noſtris autem in regionibus neſcio quid ipsâ poſsit eſſe deſpectius. Et vix quisquam inveniretur: quem eius ſtudium oblectaret: niſi vel publicis aliquibus alliceretur honoribus: vel etiam magiſtratus juſſu, & imperio, qui ſumptibus vivunt alienis, eò adigerentur. At quónam hoc ſucceſſu? Quo cætera, quæ ab invitis, & nolentibus ſuſcipiuntur. Ubi magiſtrorum nomen adepti fuerint: ſæpe etiam neſcio quo jure: ad alia ſubitò properatur. Hic noſtros videas philoſophos dimiſſa, vel projecta philoſophia non ſecus exultare: quàm ſi denſis è tenebris & captivitate liberati, ſui jam ſint juris. In cujus ergo gratiam tantopere laborabimus: ut ad alia ſtudia nobis, qui philoſophiæ Profeſſores ſumus, animum appellere non liceat? Neque certè propterea multum à meæ profeſsionis ſtudio receſsi: quod verſibus operã dederim emblematicis. Nam ſi carminis rationem excipias,

 nihil

nihil in nostris erit emblematibus quod non vel physicum sit, vel philosophicum.

Et prima quidem hæc hujusce nostri laboris & exercitii fuit occasio. Cum viderem aliquando ligna secantem operarium quendam impulsum in nodosum truncum cuneum avellere nulla vi potuisse: qui pòst tamen iteratis ictibus trunco in partes divulso, & discerpto suapte sponte exiliit: facilè hoc ad nostros mores accommodari posse judicavi: subitóque præceptum hoc feci: rectè suscepto labori constanter insistendum esse: licet non ita benè videatur esse successurus. Quod etiam præceptum in praxi medica sæpe diligenter observari debet. Ægri namque, nisi medicatio nostra subitò in melius abeat, animum abjiciunt: & crebro etiam nobis obtemperare nolunt.

Cúmque alio tempore per agros exspatiarer (quos non procul à nostris Musæis habemus complures: majore nostro æstatis, quàm hyemis commodo) multas inter alias aristas demissas inflexasq; deorsum, unam conspicatus: quæ ad sydera erecta

erecta, & superbiens attollebatur: discriminis hujusce causam animadverti facilè: quòd nimirum hæc sola locellis inanibus levior esset: illæ verò granis densioribus aggravarentur: quo modo videmus non gravem doctrinam, sed falsam eruditionis opinionem superbos facere. Fuerunt alia hujuscemodi permulta: in quibus animi gratiâ meipsum exercui. Quæ ut majori cum voluptate ab iis legerentur: quibus eorum copiam facturus eram; elegiacis primùm, pòst verò etiam plurium generum versibus à me descripta sunt. Cumq; meis convictoribus arridere cœpissent: aliis etiam studiosis aliquot adeo placuerunt: ut ea in lucem edi vellent, & peterent. At typographos nimii sculpturæ sumtus absterrebant. Ut vero meis id fieret sumptibus: res meæ non ferebant. Quod cùm mei convictores animadvertissent: hoc inierunt consilii, & inter se constituerunt: ut, si suum unicuique emblema tribueretur & dicaretur, facta insuper potestate, qua, qui vellet, emblemati suo sua adjiceret insignia: tantum quisque precii numeraret, quantum ad unius emblematis

blematis ſculpturam ſatis eſſet. Hoc itaque cum à me petiiſſent, lubens eorum voluntati ſum obſecutus. Ita namque pro nihilo id omnes, ſatis DEI beneficio locupletes erant habituri: quod mihi ſoli nimis grave fuiſſet. Quare ut eis gratificarer amplius: optio cuique à me data eſt, ex multis emblema ſibi deligendi, quo delectaretur maximè: ne cui forte aliquod adſcriberetur emblema: quod ab aliquibus in malam partem acceptũ, in ipſius ignominiam ei tributum eſſe videretur. In multis enim vitia taxantur in genere: quorum arguere tamen in ſpecie decet neminem.

At neque eſt, ut quiſquam offendatur propterea: quòd nullum in noſtris emblematibus ordinem obſervaverimus. Nam ut pro ſua quiſque dignitate locaretur: difficillimum id nobis erat futurum: nec periculo vacans, nec invidia. Quod certè malum aliter melius evitare non potuimus: quàm ſi primo loco ponerentur, qui prius: & poſteriore, qui poſterius acceſsiſſent.

Etſi verò quæ adjecta ſunt inſignia, nihil

nihil ad rem faciunt emblematicam: Id ipsum tamen ea sunt, quod in hujuscemodi libris ferè potissimum quæritur: & sæpe etiam sumptu non exiguo. Studiosa namque juventus amicorum suorum memoria, & insignium contemplatione multùm oblectatur: ut sola nominũ ascriptio his amicitiæ pignoribus non putetur esse satis: nisi etiã eorum appingantur insignia: quorum meminisse volunt. Non ergo nobis hoc vitio dabitur: quod hac in parte studiosis indulserimus.

Fuerunt equidem non pauci, quibus sententia non fuit eadem. At licet insignia sua noluerint adjicere: haud ita tamen appositis aliorum insignibus offensi fuerunt: quin sua nostris hisce versibus nomina dederint. Neque dubium nobis est de multis: qui neque hos, neque illos sunt probaturi. Nam ita ferè usu venit: ut qui se aliquid esse putant, ad contemptum eius quod aliorum est, quàm ad judicium de aliis moderatius, sint procliviores. Nobis sat erit: si quod præstitimus, paucis placeat: quando qui sunt inter criticos, & argutos rerum alienarum censores, & ca-

stiga-

ſtigatores acerrimi, placere nequeunt omnibus.

Qui tamen inter cæteros æquiores ſunt: etiam mirabuntur abſque dubio: quid operæ hac in re poſuerimus: quæ à pluribus aliis ſedulò exculta, & fortè etiam perfecta eſt ab aliquibus. Ergóne præſtitum hic à nobis eſt aliquid, quod alii neglexerint?

Gravis equidem hæc eſt comparatio: de qua ſententiam noſtram proferre nos non deceat. Quid nobis tamen in noſtris emblematibus maximè fuerit propoſitũ: quod alii vel non obſervarunt, vel certè perraro: nobis id fortè commemorare licebit: de quo poſtea penes cordatos, intelligentesq́; lectores erit judicium.

De meis itaq́; verſibus, quod ad Latinum ſermonem attinet, tantum abeſt, ut gloriari velim: ut ingenuè fatear, mihi hoc vehementer dolere: quod à juventute mea ſtudium hocce mihi non ita curæ fuerit, ut eſſe oportebat. Satis mihi namq; videbatur eſſe; ſi vel mediocrem communis linguæ puritatem aſſequerer, etiam abſque elegantia: & quæ in aliis obſervaſ-

fem vitia vitarem. At horum temporum alia est ratio: doctorumque virorum ita sunt judicia comparata; ut ferè despiciatur, & pro nihilo putetur, quicquid in lucem editur: nisi pura sit, & elegans oratio; vix etiam habita rerum ratione, quæ proferuntur. Voluptatem hoc nempe est, rerumque colores, ipsis rebus, & utilitati præferre. Ut verò excellat in utroque genere quispiam: rerumque gravitas cum orationis puritate, & elegantia conjungatur: paucorum hoc certe est, & multò difficillimum. Si tamen desit alterutrum; rhetoribus philosophos anteponimus; quicquid hac de re sentiant alii.

Sed de his satis; ad rem ipsam accedamus: in qua materiam, formamque & carminis rationem spectavimus. Materia physica est: formáque moralis: & ornatus exterior poëticus est. De materia primùm; & paulò quidem copiosius agemus: ut intelligas (optime lector) quibus de causis, cum infinita, liberrimaque sit emblematum materia: solum id tamen assumpserimus, quod ipsa rerum rationis expertium nobis

nobis natura obtulit. De cæteris post etiam dicemus aliquid.

Duo sunt omnino Academicæ doctrinæ genera, quorum unum acrius est, & ad veritatem demonstrandum efficacius. Analytica hæc docendi ratio est, & verè philosophica. Placidior altera est, & mollior, ad demonstrandum minus, quàm ad res demonstratas illustrandum comparata. Priore dimissa posteriorem assumemus. Hęc duplici etiam fine contineri posse videtur: quando vel illustratur res demonstrata, ut melius intelligi posit: vel exornatur, aut conditur, ut voluptatem pariat. Primi generis exempla sunt, & parabolæ. Ex historiis petenda sunt exempla: si non sint ob oculos. Virtutem, ait Æneas filio suo Ascanio, disce ex me verumque laborem, fortunam ex aliis: quam scilicet metuere, vel sperare debeas. Etsi fortuna nullis exemplis constitui: vel addisci posse videtur: ut pote quæ ut cætera quæ per accidens sunt, nulla ratione contineatur.

Parabolis noster Salvator usus est frequentissimè. Cum enim rudem populum doce-

docere vellet: ea quæ cuique obvia, & nota erant aſſumpſit: quibus ad propoſitum bene, & convenienter accommodatis, res eis divinas poneret ob oculos, & illuſtraret.

Ab hiſce genus quoddam aliud eſt: quod & ipſum in ſimilitudine aliqua conſiſtit. Emblemata hæc ſunt ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλεσθαι dicta: quòd non ipſas quidem res conſtituant: ſed iis ornatus, & voluptatis gratiâ decenter adjiciantur. Qualia ſunt quæ ſcriniis, aut ſpondis non contemnenda fabrorum lignariorum arte inſerũtur: quæque firmioris inſtar cujuſdam picturæ animalia varia, resque alias aſpectu jucundas referunt.

Emblemata ergo (de quibus hic agimus) moralium ſunt virtutum aut vitiorum in variis DEI & naturæ operibus expreſſæ picturæ: quas rectè contemplati ad uſus noſtros magna cum voluptate accõmodamus: modo qui noſter ſit, non DEI, vel naturæ. Non enim eadem ut præſtemus noſtræ ferunt facultates. Sed tum demum naturámque Deumq; dicemur eſſe imitati: quando ad ea, quæ nobis à DEO, &

natura in hoc universo virtutum objecta sunt exemplaria, nostros mores composuerimus. Natura namque bene, beatéque vivendi dux est optima: ne cum iis labi, & errare videamur: qui naturam vitiorum omnium scaturiginem esse putant: quasi quicquam fecerit DEUS, quod nos ab eo abstrahere posit. Huic similis alia est insania: Philosophiam (quæ operum DEI cum recta ratione est contemplatio) errorum esse doctrinam, manifestè cum veritate nobis divinitus patefacta pugnantium. Nesciunt homines isti nativos rerum colores à fucis discernere. Naturam iniquum est id dici, quod ad naturam ob peccatum accesit extrinsecus. Absit autem à nobis insanum hoc & furiosum hominum imperitorum dogma: qui peccata faciunt naturalia: vel ipsam quoque volunt hominis naturam, essentiamq; complere. At nostra hic forte est accipienda natura: non ea quæ brutis inest animantibus, aut aliis etiam corporibus, vitæ sensusque expertibus, Ut vero illud inficiari nequaquã volumus: ita neq; hoc propterea verum est. Nam & nostram, & eam, quæ

aliorum

aliorum eſt, naturam ſequi debemus: Cum in nobis vix quicquam ſit, quod cum aliis non habeamus commune: quodque eſt aliorum, id aliqua etiam ex parte ad nos non ſpectet. Homines ſumus, & alii ſunt. At animalia etiam ſumus, & corpora ſumus naturalia. Ne quis putet in hac rerum univerſitate quicquam eſſe, quod non ad nos pertineat: vel cujus aliqua in nobis non ſit expreſſa imago. Rectè igitur in officiis Cicero. Sic enim eſt faciendum, ut contra naturam univerſam nihil contendamus: ea tamen conſervata propriam naturam ſequamur. Neque verò Philoſophiam in mera & profunda contemplatione demergimus; atque ſi fœliciſſimus ille ſit, qui ne homo quidem eſt amplius. Miror etjam mentésne ullæ ſint omnis expertes materiæ: quibus hæc ſola tribui debeat contemplatio. Nos certe fœlicitatem noſtram ei philoſophiæ acceptam ferimus; quæ nos à vera operum DEI contemplatione, & voluntatis ejus cognitione ad perfecta virtutum opera deducit. Hic idem quoque finis eſt emblematum Chriſtianorum. At vero ut emblemata

tibus. Hic tamen ordinem desyderamus maximè: ne (quod fieri solet) variè varii generis emblemata inter se misceantur. Cumq; rerum natura parens in hoc genere nobis omni ex parte possit satisfacere: tum ut sit quod emblematibus probè conveniat: tum ut sit satis: Quicquid aliis videatur: nos emblemata nostra maluimus hisce limitibus contineri. Cùm enim hic emblematum decor, usúsq; sit potissimus: ut illustrent, condiant, atque confirment præcepta moralia: naturam certè præstat imitari: quàm nescio quæ imaginationis humanę monstra: quæ non magis firma, & certa sunt, quàm muscarum gyri in aëre volitantium. At natura tamen res nobis offert, quæ verè sunt, certoq; & stabili essentiæ suę modo nostros afficiunt sensus. Quis verò non malit ad opus suum aggressurus certos canones, & firma in rebus firmis, atque constantibus exemplaria, quàm in aqua, vel aëre varias mobilesque figuras imitari?

De rebus autem arte factis si quæratur: eas judicamus, ad hoc etiam rerum emblematicarum genus posse referri. Naturales

turales enim ſunt maxima ex parte: nec arte fieri quicquam poteſt, quod nō in aliqua re naturali conſiſtat: ut ferè naturæ acceptum ſit ferendum, quicquid ex rebus arte factis petitur. Dentata in utramque partem ſerra latos facilè ſecat aſſeres; cui ſi aſperitatem ſimul cum dentibus demas: hunc uſum amplius præſtare non poterit. Et verbis ſua eſt etiam concedenda aſperitas: non illa quidem, quam vulnerum DEI, ſacramentorum, & elementorum tonitrua horribilem faciunt & execrandam: ſed quæ verbis etiam mitioribus rationis aut legum virtute poteſt terrorem iis incutere qui deliquerint. De janua ſimile aliud eſt:

Iuvo clauſa, patensq́;.

Non ergo res olim geſtas, neque confictas variè: ſed naturam volumus conficiēdis emblematib. ſubminiſtrare materiam. De qua tamen non parva oritur difficultas. Et videbimur hic fortè rebus naturalibus miros affingere uſus. Non enim natura eſt intelligens, ut docere nos poſſit. Nosq; cum ſimus intelligentes, naturæ

 debe-

debemus præeſſe potius, quàm ab ea regamur. Quod equidem artificum ſatis oſtẽdit induſtria: qui naturam complent ratione. Quæ cum ita ſint: ut nos ex hac expediamus difficultate: paucis de natura ejusque uſu vario agemus. Naturam in confeſſo eſt nullo rationis uti adminiculo: quam docet tamen Ariſtoteles ſecundo Phyſicorum agere quicquid agit ἕνεκά του: cùm agere propter finem ſolius intelligentis eſſe videatur: nempe ut conſultatione aliqua quod futurum eſt prævidere poſsit. Ecquid igitur? Tribus tibi verbis ex Ariſtotele ſatisfiet: ubi rem intellexeris. καί τοι, καὶ ἡ τέχνη οὐ βουλεύεται: at neque ars conſultat. Hoc alii ut volent interpretentur: noſtra hæc eſt expoſitio. Non hoc artis eſt, ut artifex quod facit propter finẽ faciat: ob id errãt, qui verba hæc ad artificẽ referunt: cùm de arte loquatur Ariſtoteles: cujus non eſt de fine cõſultare: ſed alterius cujuspiam intelligentis animæ facultatis: qua cùm præditus etiam ſit artifex, finem ipſe ſibi ſuum proponere poteſt, priuſquã operi manum adhibeat. De appetitu quæſtio eſt eadem: quomodo moveri poſsit à

bonis

bonis externis, & ſæpe etiam abſentibus: cùm neque ſentiat, neque ſit intelligens. Reſponſio in promptu eſt. Non partis hoc hujuſce ſolius eſt opus: ſed totius, quod & appetit, & ſentit, & intelligit. Naturam absque DEO conſyderes: hanc meritò miraberis ullum poſſe ſpectare finem: cùm neque ſenſu, neque ratione ſit prædita. Progrediendum ergo eſt ulterius: ut agens illud infinitæ ſapientiæ, poteſtatis, & prudentiæ agnoſcamus, quod naturam ad hunc ipſum finem direxit: datis ei viribus, quæ ad hunc conſequendum poſſent eſſe ſatis. Ad finem ergo natura contendit non conſultatione, aut proſpectu aliquo, ſed impulſu quodã eſſentiæ: quæ naturalis quædã eſt neceſsitas verius, quàm volũtatis motus δυνάμει ἀντιφάσεως liberioris. Locus in metaphyſicis eſt à propoſito non alienus: in quo architectum operis intelligenté cum operariis confert Ariſtoteles: inquiens, hos facere quidem ea, quæ ad finem ducunt: ſed non intelligere tamen quid rei ſit: οἱ δ' ὥσπερ καὶ τῶν ἀψύχων ἔνια, ποιεῖ μὲν, οὐκ εἰδότα δὲ ποιεῖ, οἷον καίει τὸ πῦρ. Atque hæc de conſultatione, quæ

causæ est primò efficientis. Nos hic jam in natura spectamus aliud: nempe ut ejus operibus fruamur, & cum ratione utamur. Non est ipsa quidem intelligens: at ei quod deest nos supplere possumus ratione.

Duplex itaque est operum naturæ usus. Nam aut proprius est & verè naturalis, ad humanæ vitæ sustentationem comparatus: aut adscitus aliunde. Nos seposito priore posteriorem explicabimus: qui multiplex est: prout ad varios fines res naturales variè usurpantur.

Josuæ 24. Cum DEUS populum suum in gratiam recepisset: in fœderis ejus confirmationem Josua saxum sub quercu veluti testem rerum actarum, sacrumque signum constituit.

Sæpe etiam rebus naturalibus corporeis, & in nostros sensus incurrentibus demonstrantur ea quæ nostros fugiunt sensus. Ita Spiritus sanctus in Baptismo CHRISTI sub specie columbæ comparuit. Actorum 10. Petrus in ecstasi vidit aperto cœlo varii generis animalia: quib. ut impuris Judæi vesci non poterant. Ea gentes designabant:

bant: quas DEUS in gratiam recepturus, & purgaturus erat: ob id Petrum de cœlo vox audita repræhendit: quod quæ purgasset DEUS impura dicere non debuerit. Semen, quod in terram mittitur, regnum, verbúmve DEI. Vitis autem Johan. 15. CHRISTUM ejusque fideles designat. Manna Judæorum, Exodi 11. cibi cœlestis typus erat: cujus meminit noster Salvator, Johan. 6.

In hoc etiam genere contineri posse videntur Ægyptiorum Hieroglyphica: qui figuris animalium loco scripturæ aut sermonis animi sensa exprimebant. At Pythagoræi progressi sunt ulterius. Nam & ipsas animalium formas (τοῖς ψήφοις τὰς τῶν φυτῶν ἀφορμὰς ἐξομοιοῦντες metaph. 14.) & res etiam quasvis alias immo metaph. ex numerit constituerunt: in quibus videbantur sibi videre ὁμοιώματα πολλὰ τοῖς οὖσι.

Atque hi rerum naturalium usus in significatione consistunt. Nam quod de sacramẽtorum virtute dici posset: id rerum externarum non est, sed internæ Sancti Spiritus operationis. Ex quo magorum

& im-

& impoſtorum medicorum impudentia ſatis apparet, qui miros adhibitis ad opera ſua rebus naturalibus tribuunt effectus, hocque aſtu facilè decipiunt imperitiores. Cui ſimile & hoc eſt. Ut magicæ improbitatis ſuſpicionem effugiant, ipſius etiam DEI nomen aſſumunt, & aliquot loca ex ſacris literis allegant. Alii verbis ipſis vel prolatis vel appenſis: aut etiam literis vel figuris miras adſcribunt vires.

Neque vero minus hiſce ridicula ſunt ſuperſtitioſa Medicorum περιάμματα vel περίαπτα: quæ corpori appenduntur, ut cutem ipſam contingant. Cujusmodi eſt quod præbet Trallianus lib. 12. ad febriles rigores avertendum. Oleæ filio ante Solis ortum decerpto characteres καρσια vulgari atramento inſcribuntur. Haud equidem imus inficias, quin hæc ſæpenumero quod pollicentur, id preſtent: ſive id utentium fiducia fiat, & ſpe ſalutis animum naturamque adverſus morbum confirmante: ſive DEO aliquid ſuperſtitioni concedente.

Sed multò maximè impius eſt eorum uſus, quæ cùm naturalia ſint, minimè tamen

men agunt naturaliter, ſed ea quam eis cacodæmon addit virtute. Quæ quidem qualia ſint, ex illo unico chirurgorum unguento ſatis intelligitur: quo ex multis & herbis, & radicibus confecto gladius, aut quodvis aliud inſtrumentum, quo vulnus cuipiam illatum fuerit, non ipſum vulnus inungitur: de quo hæc olim ad me ſcripſit vir magnificus & generoſus D. ANDRÆAS DUDITIUS. Addo ad hæc; quæ copioſius perſequi ad te ſcribentem, non eſt neceſſe; conſtellati illius unguenti (ita enim vocant) fama ad vos jam pridem, ut credo, pervenit. Sunt certæ fidei barones, & alii amici mei, qui dejerant graviſsima vulnera illo unguento perſanari; ſi tela, quibus inflicta ſunt vulnera, illinantur, & obligentur. Ac quod etiam magis mirabile eſt, ſi quis tela ad ignem admoveat, ad frigidum aërem, aut aliâs negligentius curet, vulnerati magnos cruciatus, noxamque perſentiſcunt. Quid hoc eſſe putem? Ea certe, quæ ad ejus unguenti confectionem adhibentur, nec manifeſtam, neque occultam hujusmodi vim aliis in rebus oſtendunt. Si ad incantationes confugias,

fugias, nova quæstio oritur. Si fidem hæc perficere dicas, quæram item, quomodo actio fiat sine contactu, quomodo πάθος illud animi agere in corpora ἔξωθεν & aliena queat.

Atque præter hos omnes alius est etiam rerum naturalium usus, quas nobis DEUS Opt: Max. non ad necessitatem modò, sed etiam ad delectationẽ comparavit. Voluptatis hic usus est: quæ sua est non sensibus solùm, sed & ipsi etiam menti: quando quæ pulchra sunt cum delectatione percipimus, & verè contemplamur: iisque cum voluptate fruimur, quæ suis suavibus, & jucundis qualitatibus naturæ nostræ conveninnt.

At verò ab hoc etiam usu distat aliquãtum emblematica rerum naturalium imitatio: utpote cujus finis sit præter earum rerum contemplationem, & perceptam ex ea contemplatione voluptatem utilis bonarum virtutum doctrina: quando scilicet illa DEI, & naturæ ϐλέμματα nostris accommodantur moribus.

Dum autem naturam sectamur, recta ratione nobis est progrediendum: ne

tam-

tamquam cæci à via virtutis aberremus.
Qua in re duplex est cautio: tum ne quid-
vis imitemur: tum etiam ne quod contra
bonos mores est, emblematicè doceamus.
In illo error est: in hoc etiam est malicia.
Errorem dicimus: si quicquid in feris est
animantibus, aut aliis rebus naturalibus,
id absque discrimine velis imitari. Nam
(ut paulò ante ex Cicerone monuimus)
naturam universam ita conservare debe-
mus, ut propriam sequamur: quam si
quis omiserit, alienam volens imitari: fie-
ri non potest, ut universæ vitæ suæ, & sin-
gularum actionum æquabilitatem con-
servet: qua nihil est (ut idem ait Cicero)
magis decorum. Neque tamen obid
mala est rerum aliarum natura, quod eam
nos imitari non deceat. In nobis enim
fit malum, quod in aliis malum non est:
nempe si cum natura nostra id pugnet.
Ira in cane non est in vitio: nec feritas in
lupo, vel voracitas. Ignis seipsum sistere
non potest, quin omnem quam contige-
rit ustilem materiam absumat, & de-
voret. Lapis cum deorsum fertur,
ex seipso quiescere non potest. Hæc
in

in hiſce bona ſunt: in homine non item. Nam liberè vivit, & perficitur: ut cùm in voluntate ſua δύναμιν habeat, qua velle & nolle poſsit: ratione ſeipſum etiam contineat, & ſiſtat.

Sed in aliis etiam malicia eſt, & improbitas: ut ſi quem velis levi de cauſa irritatum ad extremam vindictam concitare, duras in mari cautes ob oculos ei pictura ponas emblematica: quæ naves in ſe tempeſtatis errore pulſas, non repellunt modò, ſed confringunt penitus. Quę plus quàm ferina ultio in hominem cadere non debet. Cavendum ergo eſt, ne quid emblematicè interpretemur, quod ſit cõtra bonos mores. Atque hæc & alia emblematum vitia tum demum facilè vitabimus: ſi morum præcepta non primò conſtituantur emblematicè. Nam in emblematis magna eſt in utramque partem varietas. Sed hęc ubi à Philoſopho morali conſtituta fuerint, egregiis poſtea illuſtrentur emblematibus. Non eſt ex Apocalypſi primùm diſcenda Theologia. Neque tamen propterea negligendus eſt emblematum uſus: quod ad benè, beateque

viven-

vivendum moralis philoſophia poſsit eſſe ſatis. Non enim ſtoica hæc auſteritas competit omnibus. Sed cum pleriſque hominum agendum eſt mitius & mollius. Grāmaticorum ſpinoſa & cōtentioſa aſperitas ludo contemperatur etymologico. Neque nos ſolo pane, & aqua veſci voluit DEUS: varios etiam cibos, & condimenta multiplicia nobis, ipſe ad voluptatem conceſſit benignè, & liberaliter. Moralia etiam præcepta jucundis depicta emblematibus, cum voluptate acceptantur promptius: quæ ſola tamen non eſt utilitas. Nam præcepta hæc hujuſcemodi picturis illuſtrata melius intelliguntur. Et cum nobis hæ res emblematicæ ob oculos verſantur, de moralibus illis præceptis ſæpe admonemur: quæ contemnenda non eſt admonitio.

Hæc ſunt (humaniſsime lector) quæ de emblematibus in genere: & in ſpecie de Phyſicis dicere voluimus. Ex quibus non ipſa modo noſtrorum emblematum materia, ſed etiam forma quæ ſit intelligitur. Res namque naturales emblematica inſertione, & applicatione ad mores no-

ſtros ethicæ fiunt, & formam quandam moralem concipiunt: quæ certis virtutum præceptis continetur, & deſcribitur. At dum hic nonnihil videmur præſtitiſſe: quicquid hoc tamen ſit, merito fatemur nondum eſſe ſatis. Nam nec omnia virtutum genera complevimus: nec ea quæ attigimus in eum digeſta ſunt ordinem, qui moralibus præceptis eſt conveniens. Cumque difficillimum hoc ſit: ut quod deeſt, compleatur: ſi tamen noſtrum hocce ſtudium, morum & poëſeos ſtudioſæ juventuti placeat: operam dabimus: ut naturalis hæc morum philoſophia, quôad ejus fieri poterit, à nobis maximè perfecta in lucem aliquando prodeat.

Exterior autem forma certa quadam conſtat partium conjunctione: quæ partim carminis eſt, & metrica: partim verò totius compoſitionis: & emblematica dici poteſt. Exteriorem vocamus: quòd & in proſa: & alia etiam rerum, partiumque diſpoſitione conſtitui poſsint ſymbola & emblemata: qualia ſunt quæ nuper in lucem edidit doctiſsimus vir, & valde ſolers, & induſtrius D. JOACHIMUS

CAME-

CAMERARIUS, clarissimorum JOACHIMORUM & P. & F.

In carmine sua tamen quædam major est quàm in oratione soluta suavitas: qua nobis certè fuit opus vel maximè. Nam si quod metricum est, nostræ demas orationi: quod reliquum erit, omni vacabit elegantia, nec cum voluptate legetur. De nostris autem versibus nihil ferè est quod commemoremus. Tales nempe sunt, quales eorum sunt, quibus hoc exercitii genus non ἔργον est, sed πάρεργον. Si scissem in mea juventute, quid pòst futurum esset: diligentius certè puriores legissem poëtas. At consules hoc (amice lector) quicquid est æqui bonique: Cumq; nobis facultas desit: satis id erit tibi quod præstare potuimus. Sique nihil aliud placeat: hoc tibi tamen forte placebit: quod ita hæc emblemata composuerimus: ut ex præfixo hemistichio facilè cujuslibet emblematis summa, sensusque posit intelligi. Dein quod materiam ipsam ex illustri rerum naturalium theatro desumptam breviter proposuerimus, & exposuerimus. Postea vero pa-

ri brevitate moralia præcepta deſcripſerimus: quæ rebus antè propoſitis applicari, & accommodari poſſe videbantur. Quamvis autem huic operi annos jam aliquot impenderimus: nondum omnia tamen emblemata perfici potuerunt: tùm aliis de cauſis: tùm quod ſculptor noſter aliis etiam pluribus operam ſuam commodaverit; & procul etiam à nobis abfuerit diutius quàm fore putabamus. Ut vero editionem differremus amplius: conſultum non erat: non tam noſtro, quàm ſtudioſorum nomine: quibus editionis mora & gravis, & moleſta erat. Quæ fuerunt ergo reliqua: ea cum cæteris etiam absque imaginibus excudi curavimus: ut ſi qui ſuis forte nominibus, & inſignibus adjectis noſtrum hoc opus emblematicum decorare vellent: ex iis quæ præ cæteris magis placerent, ſibi ea deligerent. Ita enim compleri poſſe judicavimus: quod aliâs abſolvi absque graviore mora non poterat. Neque metus eſt, ne altera editio nimis diu differatur; cum certis de cauſis pauca excuſa

ſint

ſint exemplaria. Vale humaniſsime lector: & his ſi potes, aut lubet utere cum voluptate.

Altdorfi Noricor, Menſe Auguſto, Anno M. DCII.

Nicolaus Taurellus
Phyſices & Medicinæ Profeſſor.

IN CAESALPINUM PHILOSOPHUM ITALUM, PRO CLARISSIMO VIRO, DN: NICOLAO TAURELLO, Philosopho Germano.

QVI pollere negat te Cæsalpine sagaci
Ingenio, & mira mentis & artis ope,
Ille caput prodit fatuum, nec judicat æquè:
Nam tibi & ars docta est, mens & acuta satis.
Dogmata sed qui te vana atque sophistica dicit
Tradere, quæq; animis sint inimica piis,
Verior hic, ullum quàm Phœbi oraculum, & acri
Iudicio, magno major Aristotele.
Res ergo humanas Deus haud intelligat, ille
Providus, haud curet, cunctipotensq; Deus?
Heu procul à nostris laribus monstra ista fugentur
Ad Scythicas rupes, Cimmeriosq; lacus.
Roboris hoc Taurelle tui est, & Apollinis arcu
Pallados & clypeo qui bene tutus agis.
Perpetuas meruit laudes Tyrinthius, olim
Expurgat monstris dum loca quæque feris:
Ne

Ne valeam, nisi te comitatur fama perennis,
Qui Cæsalpini dira venena necas.

Hier: Arconatus Cæs: Majest: à Secretis Bell. Pragæ F. 22. Maji 1597.

DE OPERIBUS PHILOSOPHICIS CL. V. D. Nic: Taurelli Physici acutissimi

quà gravioribus quà amœnioribus,

Encomiasticon Carmen

CUNRADI RITTERSHUSII. I.C.

TOTA hominem Natura docet quasi fida magistra,
Et jubet erectos ad cœlum attollere vultus,
Vociferans tacita præconia maxima voce:
Discite mortales, qua sitis origine nati:
Discite vitam agere ætheria quoque origine dignam,
Et docili dictata salubria tradite menti.
Humanos opifex summus fabricavit ad usus
Me totam: humanos me accommodo semper ad usus:
Sive necesse sit, & me sustentatio vitæ
Exigat: ornamenta magis seu grata petantur:
Seu cunctarum adeò rerum regina voluptas.
Omnia de gremio liceat depromere nostro:
Hinc undantę fluit largissima copia cornu.
Felix, qui rectè scit munera sumere tanta,
Auctoriq; meo gratam dependere mentem,
Et vinclis unire olli se gestit amoris:

At miſer, ingrata carpens ea munera dextra:
Huic laquei omnia ſunt, intinctaq; toxica mello.

Naturæ has voces, tacitæ & præconia linguæ.
Naturæ interpres bene conſcius arcanorum.
TAURELLUS, linguaq; diſerta & pectore acuto,
Accipit ac reddit; per docta volumina fundens,
Poſteritas magno quæ non legat absque ſtupore,
Divitis ingenii flumen mirata benignum.

Hic nunc majus opus per amica ſilentia noctis
Pervigil extornat, cæſas & perpolit Alpes;
Magno & Ariſtoteli dicta atque indicta revolvit,
Illuſtri Sophiam ſtatuens in luce videndam:
Nunc pauliùm è tanta rerum gravitate remittens,
Nata interq; manus Emblemata ſuavia fingens,
Per luſus doctos Lectorem ad ſeria ducit.

Quiſquis es, ore fave; & ſeu ſeria ſcripta revolvas
TAURELLI, genium mirere & texta laboris
Ardua: ſive oculos animumq; ad ludicra flectas,
Magna etiam parvis, dic, conſtat gratia rebus.

TAVRELLE magni ſi quis Apol-
(linis
Vtrisque juxtà clarus ab artibus,
Famâ ſibi laudem æviternam
Perpetuante, ſuperſtitabit:
Vtrisq; certè tutemet artibus

Nun-

Nunquam ſenentis clarus Apol-
(linis,
Famâ tuum æternante nomen,
Compos adoreâ eris perenni.
Nam ſemivivis auxiliaria
Seu fidus ægris pharmaca temperas
Manentibus jamjam ſenectum
Porthmëa cis Phlegetontis a-
(ctam,
Internecivis penè doloribus
Lætata ſuccis corpora vividis
Torrente ab infernate lucis
Aërias revocas in auras:
Seu verba clauſtris libera metricis
Arctare ſumis, carmina diſpare
Nectens ligaturâ, decenter
Vt titubet pede Muſa claudo,
Chorus ſororum totus Hyantidum

 Ipſe

Ipse & sororum præses Hyantidum
Phœbus tibi nil mortuale
Adstupet attonitus canenti.
Illinc ut alter sis Epidaurius
Vel ipse Pæon vel Podalyrius:
Pelignus hinc vates vel Vmber:
Artibus unus utrisq́ pollens.
Non hæc adulans auribus oggero
Tuis, recepto vulgus ut assolet
Ritu cinislonum, expeditum
Illice sublinere ora palpo.
Nec te immerentẽ treßis adulteris
Picturo laudum mango coloribus:
Emblematum en bellatulorum
Nónne opus id solidum me-
(retur?
Quo funerari quippe vetabere
Omnis, rogales effugiens pyras:

In

In teruet vis manca Fati
Omnidomo imperiosa sceptro.
Errore ductus me tamen autumas
Dignum, novelli pars quota codocis
Emblema qui tuter ruinam
Arboris à nimio trahentis
Ramos gravantum pondere fru-
(ctuum:
Quæ copioso luxuriantium
Auctu priùs densata florum
Juge decus stetit arboreti:
Post fructuosa larga feracitas
Incommodavit: libera quâ nimis
Taxatur argutè voluntas
Effigie benefacta acervans,
Ac disciplinæ multijugæ capax
Suisq; abundans ingenium bonis:
Utrumq; gignens uberante
Exitium sibi largitate.
Sunt

Sunt literatæ nempe scientiæ
Viri potentes, scita quibus dicans
Emblemata argutationum,
Plena sacras lepidißimarum.
Errore ductus me quibus aggregas,
Præstantiorum de numero ratus
Vatum esse me, cantata quorum
Tergemino volat orbe fama:
Haud invenusti Trunccius ingenI
Dum fortè nostras nescio quas tibi
Monstrare nugas craßioris
Non dubitavit opus Mi-
(nervæ.
Hinc te flagrantem corripuit no-
(vus
Serpens medullas in penitas amor,
Ignotus ignotumq́; amico
Prosequeris deamans favore.

Ab

Ah parce tantis addere me viris,
Queîs cõparandus ſic venio, ut la-
Fretenſibus latè ruentis (cus
Oceäni æquiparatur undis.
Altùm virentes ſeßilis areas
Vernantis horti corchorus indecet:
Stridente deformat ſonore
Anſer amœniſonos olores.

T. Excell.

Addictiß:

Martinus Stobæus
Boruſſ: Marienburg.

Ante

Ante retrorsum.

Ad juventutem prudentiæ studiosam.



Cum licet ancipitis sectabere commoda cancri:
Et quovis disces vivere posse solo:
Qui fraudatus aquis: sicco tamen aëre vivit:
Et lento properans itque, natatque gradu.
Hostem quando fugit, qui prospicit ante: retroque
Paulatim carpit quas juvat ire vias.
Si nocet ire: gradum revocabis: at ante quid obstet
Spectabis: rebus prospiciesque tuis.

Leviter si tangis, adurit.

Ad Marcum Christophorum Gugel Norib.



Urticam si quis contingat molliter, uret:
Et timidas lædet tacta borago manus.
Hæc tamen intrepido franguntur spicula pressu:
Hacque omnis subito pellitur arte dolor.
Res age: non magnis nec neglige viribus hostem:
Sed leve quo poteris robore tolle malum.

Dum ruperit ilia sanguis.

Ad Carolum Scheurl Noribergensem.



Squamosum crocodilus alit, perimitq; draconem:
Et sua disrumpit sanguine membra culex.
Hic sitit humanus dum ruperit ilia sanguis:
Et sitit hic dum sint ilia rupta, merum.
Si licet, optatis tua comple gaudia rebus:
Sed cave ne superet læta cupido modum.

Præcipitata nocet vindicta.

Ad Paulum Volkhammer Noribergensem.



Saxum quo petitur frendenti percitus ira,
Dentatoque fremens arripit ore canis.
Suscitat ista canis spectantibus ultio risum:
Quem morsus jactu lædit, obestq; magis.
Si quid es ulturus causas exquire, modumque,
Ne temerata prior sit ratione manus.

Levitate superbit, & extat.

Ad Christophorum Paulum Gugel Norib.



Cernis ut optatis fœcunda est messibus æstas:
Et dominum quanto fœnore ditet ager.
Una sed ecce alias supereminet inter aristas:
Quæ celsa erectum tollit ad astra caput.
Scilicet hæc multis, at inanibus aucta locellis
Effertur: dum nil quo retrahatur, habet.
Quem levis assurgens effert doctrina, superbit.
Nam scit, qui doctum se putat esse, nihil.

Insunt meliora, latentq́;.

Ad Danielem Modlerum Norib.



Aſpice quam grato niteatque micetque colore
Malum, virgo ſua quod gerit iſta manu.
Exteriora placent forma: meliore ſed uſu
Præſtant, quæ tenui cortice tecta latent.
Quisquis es ipſe tuo nimium ne crede colori.
Cortex hic ſuibus, qui nitet, objicitur.
Internas etiam virtutibus excole partes:
Externum ut ſuperet mens bonitate decus.

Bello

Bello hæc & pace juvabunt.

Ad Chriſtophorum Rodolphum Gugel Nor.



In ſua terreſtris teneras erinaceus uvas
Horrea ſolerti dexteritate vehit.
Incubat in molles figens ſua ſpicula baccas:
Hocque ferens tecto corpore pondus, abit.
Cornua ſi tauros: hunc & ſua tela tuentur:
Tempore tela ferunt hæc quoque pacis opem.
Quæ bello virtus, & quæ prudentia bello
Profuit: hæc etiam pace probata juvat.

Ut

Ut sit vox irrita: latrat.

Ad Iacobum Roßlerum à Buchenreut Silesium Franckensteinensem.



Crebris ut saliat latratibus ecce catellum:
Qui fugat intrepidos, persequiturque canes.
Magnaque cum diro minitetur vulnera morsu:
Solo dispereunt voxque, minæque sono.
Irrita promoto convitia despice gressu:
Quasque movet nullis viribus ira minas.

Sit forma, sit usus.

Ad generosum ac nobilem D. Iohannem Adamum, à VVolffstein, Baronem in superiori Sultzburg: & D. in Pyrbaum.



Rustica plebs nimium civilibus invida formis,
Quidvis pro pulchro, si modò prosit, habet.
Nostra sed urbanos præfert Respublica mores,
Hacq; cavet ne quod desit in urbe decus.
Si datur, atq; decet, non est spernenda voluptas:
Authorem quæ se gaudet habere Deum.

Dantem data munera ditant.

Ad generosum ac nobilem D. Iohannem Albertum à VVolffstein, Baronem in superiori Sultzburg: & D. in Pyrbaum.



Ditans ditesco, nec sunt mihi munera fraudi:
Me ferus accurrens cum populatur aper:
Qui juvat effoßis rostro radicibus: & quod
Auctum cunque putes posse nocere, vorat.
Si quid surripitur tibi quod tamen utile non sit:
Hoc tibi jacturæ non decet esse loco.

Alieno pondere tollor.

Ad nobilem virum Georgium Vischerum Præfectum Dominatus Pyrbaumensis.



Tollitur oppositæ lanx altera pondere lancis:
Sursum nempe minus pondera pondus agunt.
Ergo suis ut te delictis evehat alter:
Culpa vide laudes ne gravet ulla tuas.

Tandem putrefacta resurgent.

Ad nobilem virum Iohannem Christophorum Kratzerum à Langenpruck, Aulæ VVolffsteinianæ præfectum.



Fertilis exhilarat ſperantes terra colonos:
Huic quæ mandarint ſemina quando putrent.
Solis enim tandem vivent agitata calore:
Multaq́ fœcundo fœnore grana ferent.
Quin & noſtra Dei juſſu putrefacta reſurgent:
Vt repetant animas corpora quæque ſuas.
Spem facit hanc iſto nobis emblemate Chriſtus:
Pulſo ut certa metu ſit, ſtabilisq́ fides.

Vetatq; gelaſcere motus.

Ad Gulielmum Pœderum Ambergenſem.



Cum glacialis hyems ampliſſima flumina duret:
Stagnantesque ſuo frigore cogat aquas:
Non ſinit hunc fontem, rivumque gelaſcere motus:
Atque citata gelu dum fluit unda cavet.
Quin Sudore gelu ſic pellimus: *& procul actã*
Sedula pauperiem cura, laborq́; fugant.

Spectatur funus ob ignem.

Ad magnificum ac generosum D. Andræam à Cochtitz D. hæreditarium dominatus Lublinicensis.



Fumus præclarum qui flammæ lumen obumbrat:
Conspicuus non est hic sine luce tamen.
Atque ita sæpe leves in aperto corpore nævos
Candida conspicuos forma, gravesq́ facit.
Inclita quin etiam virtus leve crimen adauget:
Qualia in obscuris crimina sæpe latent.

Data leniet eſca furorem.

Ad VVolffgangum Michaëlem à VVolfsthal.



Efferus humanas crudelia pabula carnes
Mactat, & inſano devorat ore lupus.
At furor iſte tamen ſaturato ventre recedit:
Mitis & eſt ſubitò qui ferus antè fuit.
Cur bene moratum te fauſtis copia rebus
Non faciat: mitem ſi facit eſca lupum?

Capto

Capto replet atria cantu.

Ad Bartholomæum Fugerum Dürsenreutinum.



Quæ ſpreto virides peragrabat murmure ſylvas:
Libera difficilem quærere juſſa cibum:
Hæc replet exultans grato reſonantia cantu
Atria: deq́; cibo certa triumphat avis.
Sæpe juventutem neglectæ inſania legis:
Et libertatis ſæpe fefellit amor.
Provida quando regens lex utile jungit honeſto:
Huius quisque ſua ſponte ſubito jugum.

Fructum

Fructum quæ floruit offert.

Ad Georgium Lauream Vratislavienſem.



Fructus quæq; ſuos, quæ floruit, exhibet arbor:
Hocq; ſuæ ſignum fertilitatis habet.
Virtutis pueri flos eſt reverentia veſtræ:
Et vera junctus cum probitate timor.
Flos quoque doctrinam mentis præcedit acumen
Et ſtabili doctos ſedulitate facit.

Aequo rapidissima cursu.

Ad Iohannem Vlricum Seidelmeier Praefectum coenobio Gnadenberg: in P.C.



In tanta nihil est perennitate
Quod non syderei superet constantia motus.
Sydera nempe Dei veracia dicta, fidemq́;
Authoris referunt sui, probantq́;
Et nos haec etiam spectata exempla sequemur:
Vt sit nostra Deo fides, & astris
Conformata: metu cadatq́; nullo:
Quamque suo nequeant mendacia flectere nisu.

Motu parit unda salutem.

Ad Paulum Freherum Augustanum.



Navis ut offendens vi fluminis acta superbum
Ad pontem, vectas exoneravit opes:
Dulcia Brisaci gustantes pocula montis,
Absq; cibo bibimus strenuè, & absq; siti.
Ast aqua nos subitò pernicibus extulit undis:
Atque salus, quod mors debuit esse, fuit.
Ne nimis effrenes fortunæ horresce procellas:
Ipsa etiam veniet morte vocata salus.

Quæ nocuere juvant.

Ad Iohannem Lobellum Oringiacum.



Scorpius oppugnat, quod contulit ante venenum:
Cladis at eſt uſu certa medela ſuæ.
Multaque producens animalia noxia tellus:
In plantis etiam multa venena fovet.
Nil tamen eſt, quod non à ſe data damna rependat:
Et quod non aliqua dote, vel arte juvet.
Quisquis es ergo tuis enitere viribus: ut ſi
Poſsis ex aliqua parte juvare, juves:
Ne te dicatur nihil eſſe nocentius ipſo:
Et prodeſſe minus te quoque poſſe nihil.

Quosvis fugit auctio sensus.

Ad Iohannem VVolfgangum ab Ellerichshausen.



Si non est acri spectabilis auctio sensu:
Assiduè crescit qualibet herba tamen.
Nec fugit hæc, ubi res excreverit, auctio sensum:
Cunctaq; cum fuerint aucta, videre licet.
Discitur haud celeri (juvenes modò pergite) fructu:
Nec mora sollicitos terreat ulla pedes.
Et bona de multis conquirite semina rebus:
Certa, gravisq; suo tempore messis erit.

Gratis largitur, & offert.

Ad Georgium Gallum Nordlingensem.




Aureus aßiduo latè sua munera motu,
Iejunoq́ vigens corpore Phœbus agit:
Nullaq́ cum tantum foveant alimenta calorem:
Perpetuo fulgens hic tamen igne manet.
Et Deus ex nihilo qui totum condidit orbem:
De toto à nobis exigit orbe nihil.
Qua potes ergo fide solemq́ imitare, DEVMq́,
Et prompta gratis daq́, juvaq́ manu.

Propria

Propria ſtat gloria prole.

Ad Eraſmum à Steinau dictum Steinrück.



Quæ prima ramos ab origine protulit arbor:
Et fructu, & propria prole beata viget.
Atq; ita clara boni prudentia principis extat:
Qui regit, & propria res agit arte ſuas.
Stirps ferat illæſo (ſi ſit bona) caudice fructum:
Ne varia noceas inſitione magis.

Nimis

Nimis aucta nocebunt.

Ad Iohannem Mülholtzerum Norib.



Naturæ pergrata nocet nimis aucta voluptas:
Nec bona vina parum largius hausta nocent.
Copia quando placet rerum, vel honor, vel amici:
Corporis & robur, forma, colorq́; placent.
Noveris hæc itidem cum prosint, posse nocere:
Nam bona sunt damnis, damnaq́; mixta bonis.

Proce-

Procedere præstat ab imis.

Ad Ludovicum Schuuartzmeierum Ambergensem.



Quælibet à prima succrescit origine planta:
Imaq; supremis suntq; vigentq; prius.
Naturam artifices opus aggrediendo sequuntur:
Quinetiam nobis hæc imitanda venit.
Discere quando voles, amplectere proxima pri-
Hæc si percipias, inde remota petes. (mum:

Certa est alia radice propago.

Ad Cosmam Vackium Iurisconsultum Flensburgensem.



Cernis ut ex una multi radice ferantur
Cauliculi, cupida qui retinentur humo.
Hic ubi terra novis plantam radicibus auget:
Amplificatq; suum multa propago genus.
Et bene fulta novis radicibus, auctaq; virtus
In justo firmum pectore robur habet.

Spinisq; tegentibus extant.


Ad Georg: Paulum Nützelium Noriberg.



Cernis ut erumpunt inter dumeta, vepresq́;:
Lætaq́; fragrant lilia flore vigent.
Gallia nonne vides ter denos quanta per annos
Bella ducum effuso tincta crurore ferat?
Navarræq́; vides inter tot prælia regem,
Victo exultantes ut gerit hoste manus?
Quem ne tantilla dignata est Gallia parte:
Terras hic omnes ecce, virosq́; tenet.

Ex humili conſcendit in altum.

Ad Iohan. Ioachimum Nuzelium Norib.



Præruptum ex humili conſcendit origine montem,
Impulſuq́ levis proſilit unda rotæ.
Si quibus ingenium natura, & ſtirpis honorem:
Et fortuna nimis parca negavit opes.
Sperate, & certo vires, animumq́ labori:
Veſtraq́ cœleſti credite vota DEO.
Magnas ſæpe frequens induſtria perficit artes:
Cum vis ſecuros ingenioſa facit.

Quando micat igne, feritur.

Ad D. Andream Tucherum Noriberg.



Cum grave candenti molliverit igne metallum
Hoc flectet facili quo volet arte faber.
At si durities pulso fuget igne calorem:
Defessas ludent spesq́ue, laborq́ue manus.
Commoda susceptis captata occasio rebus:
Eventu faciles prosperiore facit.

Surſum deflexa recurret.

Ad D. Chriſtophorum Stocammerum Norib.



Si quem deflectas magno molimine ramum:
Hujus ab extrema parte reſurget apex.
Totus & infracta ſummum virtute cacumen
Injuſtam fugiens vimq́, manumq́, petet.
Exſurgens multo, ſtabilitaq́ tempore virtus,
Nullo devictum robore robur habet.
Et ſi forte graves fortunæ injuria caſus
Inferat: haud ullo victa labore jacet.

Nutu

Nutu benefacta rependit.


Ad D. Iacobum Pömerum Noriberg.



Hæc clarum exultans amplectitur herbula solem:
Cujus & expasso munera flore capit.
Læto disce puer benefacta rependere vultu:
Si tua non habeat res, neque verba locum.

Durum juvat esse, nec obstat.

Ad D. Carolum Nüzelium Noriberg. equitem auratum.



Vitra hæc transmittunt solam sine frigore lucem:
Duraq́; perspicuis associata juvant.
Si sit honestati constantia juncta, juvabit.
Nam melius constans est leviore bonum.

Gravius

Gravius compressa nocebit.

Ad M. Bertholdum Gravium Hallendorfensem ad Salinas Hassiacas.



Si sapis ardentes nimium ne comprime prunas,
Si qua sit in nuda forte ferenda manu.
Mollibus emungit digitis ancilla lucernam:
Qui nequeunt instar forcipis esse fabro.
Non eadem vis est unius in omnibus ignis.
Nec pariter quævis omnibus ira nocet.
Nam si quæ non est sine viribus, illa prematur:
Compressu exsurgens urit, obestq; magis.

Reparata quiete vigebunt.

Ad Iacobum Kleist nobilem Pomeranum.



Fessa quiete suas restaurant corpora vires:
Et fit fertilior quando quiescit ager.
Sic hyemalis habet sua commoda frigoris æstas:
Somniferæq; dies commoda noctis habet.
Quin & honoratæ requiescent munia mentis:
Vt reparent vires mens, animusq; suas.

Leviter contacta movetur.

Ad Vitum Gertnerum Noriberg.



Immotamne vides quæ jacet hic pilam?
Hæc per se leviter pulsa movebitur:
Et si non moveas amplius: hæc tamen
Perget sponte suum perficiens iter.
Sunt quibus ad certas mens est bene mobilis artes:
Plurima qui proprio discere marte solent.
Quisquis es ex teipso qui discis, disce moveri:
Unius hoc non est namq; docentis opus.

Paulatim aſſurgit, & ardet.

Ad Ludovicum Camerarium Noriberg:



Vt globus horrendo ſonitu vibratur, & igne:
Vrſus forte metu membra movente fugit.
Sed redit, & magno graſſatur in obvia motu:
Intactumq; ſinunt ira, furorq; nihil.
Res age: nec primo ſeſe tua protinus æſtu
Efferat: in tremulas nec ruat ira manus.
Sed brevis hanc paulum potius mora temperet irã:
Dum reparent vires mens, animusq; ſuas.
Poſtea jure tuos, vel apertis viribus hoſtes,
Aut quacunque licet fraude, vel arte petas.

Iterato liberor ictu.

Ad Michaëlem Lorberum Papaberg.



Fixus in hunc cuneus qui magno eſt robore trun-
Nullis evelli viribus inde poteſt. (cum:
Vna ſed ars ſupereſt, quam cognita cauſa docebit:
Ex immobilibus cauſa petenda labris.
Hæc labra divellas iterato vulneris ictu:
Et fracto cuneus carcere liber erit.
Si bene quid facias, ſuſcepto inſiſte labori:
Ne ſit quid fruſtra conſtituiſſe pudor.

Ramis non caudice vivit.

Ad Iohannem Prüeschenck' Ambergensem.



Solus truncata consistit in arbore caudex:
Nulliusq; boni germina floris habet.
Qui non est aptis ad munera moribus: & quem
Solum ducit iners, & sine mente caput.
Hic sine flore manens est, & sine palmite truncus:
Cui nec vitæ usus, nec rationis inest.
Præclaris igitur virtutibus excole mentem:
Teq; tuis vivum viribus esse proba.

Roseo

Roſeo roſa vivit odore.

Ad Iohannem Neuburger Alcmarienſ: Holl:



Fragrantes roſeo roſas odore
Pergratus decorat color: ſed idem
Multis rebus ineſt color: roſarum
Vnus cum ſit odor comes perennis.
Conſervant humana duæ conſortia dotes:
Hic amor: & certa eſt hic in amore fides.
At ſi deſit odor non eſt roſa vera colore:
Talis & inconſtans eſt amor absque fide.

Totum

Totum pars una peremit.

Ad Christophorum Frixium Livonum.



Portio tam valide non continet una: sed omni
Hæc ex parte suum vincula robur habent:
Quæ cito solvuntur partem si solveris unam:
Et quavis etiam parte cadente cadunt.
Haud secus est constans sacræ perfectio legis,
Si præcepta colas omnia: justus eris.
At si lege tamen quicquam deliqueris una:
Virtutes sequitur gloria nulla tuas.

In alto nata superbit.

Ad Carolum antiquioris prosapiæ Comitem Ortenburgicum.



Cernis ut exsultans excelsa in rupe superbit
Fons hic & nitidas ejaculatur aquas.
Nempe quod ex alto descenderit incita monte:
Ascensu faciles efficit unda gradus.
Qui se parendo primis submiserit annis
Ex alta veteres stirpe secutus avos:
Hunc facili doctrina gradu: Laus stirpis in altum,
Et virtus humili tempore parta ferent.

Si dulcibus acria jungas.

Ad Iohannem Cämmerling Hollandum.



Iuncta ceres lupulo dulcis parit æmula vini
Pocula: si dulcet adjiciantur aquæ.
Acrem nempe sua lupulum dulcedine mulcent:
Et suavem faciunt unda, ceresq; zythum.
Mollia si duris: & dulcibus acria jungas:
Tractandis ratio hæc optima rebus erit.

Mihi ſunt mea munera fraudi.

Ad Henricum Bachofen.



Hic me conculcans, cui munera largior, hoſpes
Obruit, ingrata dilaceratq́ manu.
Commoda ſæpè malis hæc eſt occaſio rebus:
Donaq́ ſæpe manus quando capeſcit, obeſt.
Forte quis acceptum ſi dat tibi munus, & offert:
Ingratus ne ſis accipiendo cave.

Media ferar uſque tabella.

Ad Iohannem Trunccium Marienburgenſem Boruſſum.



Naufraga quem medio tempeſtas æquore jactat,
Hunc media tutum parte tabella vehit.
Si tamen extremas fluxo terat aſſere partes:
Hunc alto merget verſa tabella mari.
Qua res quæq; ſuas conjunxerit aſpice vires:
Hæc ut ab hac ipſa te quoque parte juvet.

Augentur pondera motu.

Ad Nicolaum Comitem Ostroroganum.



Parvus ut excelso qui lapsus ab æthere fertur,
Ictu quemque ferit deteriore lapis.
Haud secus offensi cum principis ira moratur:
Pœna tamen gravior tempore facta venit.
Nempe lacessitas alit indignatio vires:
Majus & est multò quàm fuit ante malum.

Sunt optima fulcra, manentq;.

Ad Nicolaum Hieronymum, Hieronymi Baumgartneri duum viri primarii filium, Noribergensem.



Volvitur tangente globus puello.
Sed viros ludunt validos, suoq;
Sede consistunt cubicis resecta
Saxa figuris.

Vir bonus, & referens constantibus omnia verbis,
Cujus & in factis statq; vigetq; fides.
Dignus hic est prudens sibi quam respublica jungat:
Et qui consilio resq; virosq; regat.

Cedunt

Cedunt contenta, replentq́;.

Ad Iohannem Livvaldum Marienbergensem Borussum.



Qui volet ire procul, variasq́; invisere gentes:
Hoc emblema suis applicet usibus.
Pocula multiplices vino tribuentia formas
Conservant veteres omnia terminos.
Cedit, & ad formas vinum se comparat omnes:
Qualemcunque ferat quæq; capacitas.
Et mutare tuos, & ad hospitis advena mores
Conformare bono te decet exitu.

Modice

Modice hæc aſſumpta juvabunt.

Ad Chriſtophorum Marſtallerum.



Annon inſipidos nimiſq; dulces
Vſu ſal modico probè palatis
Arridere facit cibos? quid autem
Vſu ſi nimio? peribit omnis
Quem quærit bonitas coquus ſaporis.
Si quas condecorant jocus, & vexatio menſas:
Et ſi grata lepor verba, viroſq; facit.
Attamen hæc gravibus ſal ſunt, & aromata verbis:
Quorum ne pereat gratia: quære modum.

Idem



Quæris ut in molli validos abdomine flatus
Et pariat, perimatque piper, tollatque tumultum.
Ex frigidis flatus piper excitat
Humoribus: sed crebrius additum
Hos postmodum solvens, & acri
Attenuans perimit calore.
Haud secus ingenium primo levis inflat, & effert
Conceptu doctrina: graves tamen inde bonosque
Accrescens fingit benè culto in pectore mores.

Frigore consistunt densata.



Maxima condensat penetrabile flumina frigus:
Quin & consistunt frigiditate nives.
Hæcque suâ tanto constantius omnia mole;
Frigora quo fuerint asperiora, manent.
Si fortuna tuis rebus iniquior
Te duris agitet casibus anxium:
His confide malis, quæ stabili tuum
Ad quidvis animum robore comparant:
Si sors afficiat te gravioribus:
Vt vitæ ratio est irreparabilis.

Nam steriles mixtura facit.



Cum non sint steriles equæ: suumq;
Prægnantes asinæ genus propagent:
Mulæ non pariunt licet perennent.
Nam mixtum hoc genus est, & impotentis
Naturæ.


Hoc mixtura malum quando facit: optima vita
In justa ratio simplicitate viget.
Bello mixtus amor, partemque secutus utramque:
Et cultus mixtæ relligionis obest.



Grata duæ viſu pariunt ſpectacula feles:
Quæ ſuo morſu laniant, feriſque
Vnguibus pectunt, lacerant, fugantque
Maximos quoſcunque canes tenellæ
Prolis amore.
Et nos hæc etiam naturæ jura ſequamur:
Abſit ut à noſtra quævis injuria prole.

Properans non excoquit auctio fructum.

Ad Matthiam Suchorabsky de Suchorab nobilem Polonum.




Dic mihi cur salicis nascatur in arbore fructus
Nec maturescat tamen.
Dum salix succum celeri capescit
Fluminum suctu: properata crudos
Auctio profert, nimioque laxos
ubere fructus.
Et vos o juvenes quos feruens erigit ætas:
Et quos maturi locupletat opinio fructus:
Ne properate nimis præcoces edere fœtus,
Dum vobis dubios obfirment tempora sensus.

Nec multo frangitur ictu.

Ad Iohannem Kinerum à Scharfenstein in Lodnitz nobilem Silesium.



Illatos adamas repellit ictus
Quantovis etiam furore tundas:
Quin hirci prius hunc domes cruore.
Vincere quando tuum nullis potes ictibus hostem:
Mollibus hunc verbis mitescere præstat, & astu:
Quam te difficili, nocuoque labore fatiget.



Nonne vides Cyanos inter frumenta, ferosque
Successu parili crescere carduos?
Haud tamen amittunt proprias bona semina vires:
Quin crescens dominum læta beet seges.
At neque te pravos decet absterrere sodales:
Sed res ipse tuas perfice sedulo.

Hunc capient alio mediante colorem.



Non quemvis subito probè colorem
Panni concipiunt, diuve servant:
Quin perfusi alia tenace quadam
Tinctura fuerint paratiores.
Haud secus humanas non quæque scientia mentes
Imbuit extemplo: Physicasq; addiscere primum
Res decet: ante sacras quam progrediaris ad arces.

Plurima nec saturat cædes.

Ad Ernestum Cracovvium Borussum.



Felis ad interitum, non ad sua pabula mures
Evocat: & nulla est cæde necando satur.
At qui mactata complet sua viscera carne:
Mox satis, ut pleno ventre pigescat, habet.
Strenuus hæc etiam miles documenta sequetur:
Sedula nudando ne sit in hoste manus.
Sæpe redux spoliis intentos obruit hostis:
Sæpe etiam feli, quam forat, esca nocet.

Flante volat vento,
Sed mox gravis imbre jacebit.


Ad Iohannem Satlerum VVemdingensem.



Lintea ventus agit volucres imitata volatu:
Quæ subito gravibus deprimet imber aquis.
Quem levis attollit rebus fortuna secundis:
Et qui vento actus prosperiore volat:
Post vehemente trucis jactatus turbine venti,
Venturoque madens imbre jacebit humi.

Alio veniente remittet.

Ad Iohannem VVillembrochium Dantiscanum.



Quæ micat in tenebris radianti luce, nitorem
Et profert atra nocte lucerna suum.
Mox ubi Sol noctem, noctisq́; fugaverit umbras:
Deperit huic quicquid luminis ante fuit.
Quisquis es, ante alios quem vel sors evehit omnes:
Qui vel doctrina, divitiisque tumes:
Ne confide nimis: ne si fœlicior alter
Adsit: scire tuum sit, vel habere nihil.

Aut natet, aut pereat.

Ad Petrum Paulum Steurnagelium Augustanum.



Huius ne perimat te fluminis unda, natabis:
Sicque tuo veniet parta labore salus.
Nostraque perpetuo consistit vita natatu:
Res hic quisque suas ne moriatur agat.

Justo majora videntur.

Ad Iohannem Ingolstetterum Norib.



Major ut apparet tenues immissus in undas
Nummus: & exoriens Sol quoque major erat.
Haud secus externis augetur opinio rebus:
Parvaque prægrandi corpora veste tument.
Doctrinæque fluens oratio nomen adauget:
Et quæ magnificent, suspiciuntur opes.
Sed veniens humili sapientia veste: jacebit
Dejecta in sterili pauper, egensque loco.

Illæſa pelle potitur.

Ad Chriſtophorum Pium Herdeſianum Noribergenſem.



Dum fera venator venabula torquet in apres:
Aut vulpes canibus, vel globulis petit:
Quâ potis eſt minimum diſcepta carne potitur,
Si tuum bello ſuperaris hoſtem:
Hnnc neca: ſed parce bonis: ut iſthæc
Te magis ſano laniata ditet
vellere vulpes.

Vento

Vento juvat: imbre nocebit.

Ad Iohannem Christophorum Hallerum Ambergensem.



Quod vehemente prius promoverat impete ventus:
Hoc multo quatiens imbre moratur iter.
Si sapis, externas nimium ne suspice vires:
Namque facit dubiam res aliena fidem.
Progrediens igitur quid versa fronte sequatur:
Et ventura mali quid ferat hora vide.

Nimio

Nimio jacet obruta fructu.

Ad Martinum Stobæum Marienburg. Boruß.



Quæ steterat vernis exultans floribus arbor:
Hæc nimio fructus pondere fracta jacet.
Quæ sua complures potuit dare poma per annos:
Præ nimia dabit hæc fertilitate nihil.
Liberiorq́; nocet cumulans benefactum voluntas:
Ingeniumque nimis fertile sæpe nocet.

Ostentat forma, nec offert.

Ad Georgium Kinerum à Scharfenstein in Lodnitz nobilem Silesium.



Quam sunt hæc vario splendentia poma colore:
Quamque suis hæc est virgo decora genis!
Hæc ede: contrecta hanc audacter, & oscula præbe:
Nam quacunque voles parte, fruare licet.
Quid pyra picta juvant? quid pictus in agmine mi-
Et quid amatorem picta puella juvat? (les?
Quisquis es, internis animum virtutibus exple:
Ne pictum dicat te tua forma virum.

*

Non hoc naturæ est emblema, sed artis: inani
Vestit enim hæc specie multa, sed illa nihil.

Itur procul atque reditur.

Ad Andream VVielovvieysky de VVielgavvies nobilem Polonum.



Si terræ varios lustrare ciconia fines:
Sique volare procul grus, & hirundo queunt:
Cum tamen hæc solum quærant animalia pastum:
Et quavis rerum cognitione vacent.
Quidni homini debeat disquirere plurima nato
In toto quemvis orbe patere locum?

Complexu obfirmat, & effert.

In nuptias Abrahami Schnupſii Vimarienſis Palatini apud Ambergenſes Conſiliarii.



Ecce maritatas lupulis & vitibus alnos:
Quæ ſucco fructum luxuriante ferunt.
Sed modo vitis humi, proprio, lupulusque jacebunt
Pondere: ſi nulla ſuſtineantur ope.
Talia floreſcens quærat ſibi fulcra juventus,
Seque ſuo ſubdat fœmina quæque viro.
Ne vir forte jacens tandem ſine prole putreſcat:
Qui fulcro poterat conjugis eſſe pater.

Fixa dum ſede quieſcant.

Ad Iſacum Burgsdorſerum Marchicum.



Callidus in ſylvis venator oberrat, & auceps:
Hic ut aves latitans captet, at ille feras.
Attamen hæ curſus ſalvantur, avesq́ volatu:
Quæ pereunt aliqua ſicubi ſede manent.
Non amat inſidiis obnoxia vita quietem.
Vt mortem fugias eſt fugienda quies.
Vera ſed in certo vitæ eſt cuſtodia motu.
Nec ſuperant agiles visq́ dolusq́ viros.

Citius calefacta gelascit.

Ad Ioh. Iacobum Taurellum fil.



Frigida quæ molli fuerit laxata calore,
Astrictum citius contrahit unda gelu.
Haud secus indulgens quos molliter educat: & quos
Blanda boni metuit lædere cura patris.
Aut quibus aucta rapit vires, animumq; voluptas:
Qualem mentitur fœmina facta virum.
Qualibet hos facili fortunæ injuria casu
Obruit: & pulso membra calore jacent.

Viso magis osse dolebit.

Ad Nicol. Fridericum Taurellum fil.



Cum canis esuriens alio rodente vagatur:
Aucta magis viso vellicat osse fames.
Conspectoque graves morsus accendit egestas
Divite. Pauperiem copia namque facit.
Augeat ergo tuum ne res aliena dolorem:
Non nimium socius suspice quicquid habet.

Erecta

Erectæ ad ſydera creſcunt.

Ad Marcum Neu. Göppingenſem.



Multa præruptum variante montem
Arbor aſcenſu decorat: ſuosq́;
Torquet ad cœli viridi cacumen
Vertice ramos:
Non obſtante ſolo. Patrios neque natio mores,
Terraque nulla tuos germano in pectore mutet.
Sed tua ſit terras conſtantia firma per omnes.

Sese cutis ipsa tuetur.

Ad Albertum Fridericum Mellemanum.




Corrugans se glabra cutis, sine crine, tuetur,
Quando elephas muscam, belua cauta, necat.
Sic sine crine caput vanam sine viribus iram,
Nempe susurrones, invidiamq́; premit.

A. F. M. Nos alter in
nudis emblem.

Alterum

Aliorum abſumor in uſus.

Ad Theophilum Richium Palatinum apud Ambergenſes Quæſtorem.



Splendida quæ proprio conſumitur igne lucerna,
Multos luce ſua dum juvat, ipſa perit.
Multi ſe macerant, ſubeuntque pericula, multis
Ut poßint medicas applicuiſſe manus.
Hi propria redimunt alienam morte ſalutem,
Si poßis, alios at ſine fraude juva.

Barba eſt ſatis una duobus.

Ad Ludovvicum Steinhauſerum Ambergenſem.



Quinque ſub expaſſo latitant velamine fratres,
Tempore quos genitrix, partuque excluſit eodem:
Ornat barba duos: barbam natura duobus:
Et quinto alterutra duntaxat parte negavit:
Atque ita conjunctis barba eſt ſatis una duobus.
Quisquis es hunc etiam naturæ imitabere morem:
De te, deque tuis ut rebus gaudeat alter.

Nullo maris edita motu.

Ad Davidem Strzela à Rokicz.



Quæ gallina maris neglecto ſemine galli
Ova ſuæ nimio prolis amore parit.
Irrita ſunt: nec in his, quantumlibet ipſa caleſcant,
Vlla tamen vitæ ſpes, neque prolis ineſt.
Quod ſine judicio puerilis cuderit ætas
Ingenii nimium parturientis opus.
Nullius hoc unquam florentis germina vitæ:
Nec fructum qui ſit dignus honore feret.

Non cedit mole, sed usu.

Ad Georgium Karlick à Nezetiz.



Si seges arboreo conterrita robore cedit:
Parva tamen stabilem præbet arista cibum.
Pomaque cum magna turgentia mole putrescant:
Sicco parva diu corpore grana manent.
Parve puer magnos inter confide sodales:
Vis etiam parvis maxima rebus inest:
Corporis ut desint: animi conquirito vires:
Quæ plus corporeo robore sæpe juvant.

Multo languentia motu.

Ad Ferdinandum VVostrovvetz à Kralovvitz.



Quem properante canes cursuq́, metuque fatigant
Concidet amisso robore victus aper.
Sunt curis qui se macerent, odióve, metuve:
Et sunt quos spoliet viribus ira suis.
Atque ita non magno cum robore venerit hostis:
Hi proprio victi turpiter ense cadunt.

Nullo dulcescunt fracta calore.


Ad Med: D. Thobiam Salandrum.



Quo maturescunt crudissima poma calore:
Dulcescitque asper qui fuit ante sapor:
Salsas haudquaquam vasti coquit aequoris undas
At neque dulce facit: sed facit acre piper.
Non quemvis rigidas secuta leges
Disciplina bonum facit: nec omnes
Mollescunt studiis, sed asperantur
Qui sunt ingenio ferociore.
Quae nullo coquitur calore bilis:
Hanc acri medicus repurgat haustu.

Et Nilum crocodilus habet.

Ad Matthæum ab Hagen.



Et Nilum crocodilus habet, qui maxima toti
Ægypto utilibus commoda præstat aquis.
Ne celebres contemne viros: si forte quid ipsi
Doctrinam vitii concomitantis habent.

Nimis

Nimis ubere languet avena.

Ad Nathanaëlem Labetzky de Liebiedzicd Polonum.



Multa prosternunt pinguedine pabula vires:
Quin & avena gravem multa fatigat equum.
Nec satis est longo moles nimis aucta labori:
Quando quod auxilio debuit esse, gravat.
Sæpe etiam partis opibus sterilescit, & alget:
Qui prius ingenio fertiliore fuit.
Et metus iste vetat magnos ditare poëtas:
Cum segnes faciant, si cumulentur opes.

Affluen-

Affluxu augentur magna minorum.


Ad M. VVolfgangum Reuth.



Plenos offerri locupletibus undique census
Cum passim à populo pauperiore vides.
Ne mirare, tibi nec tam paupercula cordi
Turba sit. Hac dites numina sorte beant.
Maximos augent fluvii minores:
Et cibo corpus leviore crescit:
Et maris vastas minus ampla complent
Flumina fauces.

Ut sit nutritur, & urit.

Ad Iohannem Adolphum Saltzman.



Aspice complures ut quæritur ignis in usus,
Maxima qui magni munera Solis obit.
Quem nisi terrestris sustentet copia ligni:
Aut sit in expleto quod voret ore; perit.
Haud secus humanæ est restricta potentia sortis:
Qui juvat, auxilio quem juvat, eius eget.
Disce igitur parili benefacta rependere nixu:
Nec solem, si quis te juvet, esse puta.

Quo vivimus, hocce necamur.

Ad Iohannem Helmreich.



Qui dedit erectis vitamque decusque lucernis:
Subverso hic ipsas igne peremit adeps.
Si quis opem veniat validos laturus in hostes:
Et si te major, quem juvat, esse velit.
Perfer, & observa quæcunque negocia tractat.
Non sat in hocce latet pectore tuta fides.

Non forma, sed usus.

Ad M. Philippum Bernbeckh.



Rura petunt, & res nostri sectantur, & usum,
Agricolæ: atque satis quod juvat, esse putant.
Prima sit, ut vivas: hinc ut bene vivere possis:
Altera si vitæ cura, laborque tuæ.
Multa voluptati rerum est data copia nostræ.
Sed bene si nequeas vivere: vive tamen.

Fulcris ſtabilita manebit.

Ad Iohan. Georgium à VVerdenſtein Canonicum Eiſtettenſem, & illuſtriß: Bavariæ principis Conſiliarium.



Vndique tecta ſuos gerit hæc arbuſcula fructus:
Major & eſt ipſo robore fertilitas.
Hæc dabit haud dubiè nimis aucta mole ruinam:
Nec cito ſat firma ſuſtineatur ope.
Sic decet eſſe, quibus mens eſt fæcunda, patronos:
Invidia ingenii nam ſolet eſſe comes.

Similimansuescit, & usu.

Ad VVencellaum VVilhelmum Liberum Baronem à Rupa.



Effera sus stabulum nolens intrare, sequetur
Tunc ubi mansuetas viderit ipsa sues.
Quisquis es ipse tui generis consortia quære:
Laudatoque tuum more tuere genus.
Cumque genus tueare tuum: sectatus amicos
Elige quos similes noveris esse tui.

Nullisq;

Nullisq; madeſcit in undis.

Ad Georgium Adamum Liberum Baronem à Rupa.



Nec ſiccæ pluviis aves madeſcunt:
Nec plumatus aquas veretur anſer:
Nec tardis anates madent in undis:
Nec piſcis metuit natans madorem.
Si ſapis hasce puer discens imitare volucres:
Degere degeneres cum cogeris inter amicos:
Ne tibi prava gravem pariant exempla ruinam:
Cæcis cerne oculis, & ſurdis auribus audi.

Finem

Finem natura negabit.

Ad VVolfgangum à Debitz nobilem Siles:



Qui volet aſſandas ad flumina mittere carnes:
Aut ſedare ſuam qui volet igne ſitim.
Huic conſtans operi finem natura negabit:
Nam vires retinent ignis, & unda ſuas.
Si quem falſa voles ut credat cogere: cogas.
Mendax hic ſi ſe credere dicat, erit.
Si valet externas violentia vincere vires:
Veram vis poterit vincere nulla fidem.

Idemq́

Idemq́; extinguit, & auget.

Ad Abrahamum Burgravium, & Baronem à Dhona.



Quæprius in prunis sopitos extulit ignes:
Hæc modo ferventes temperat aura cibos.
Quin hæc ipsa boni est solertia principis: idem
In varios ut sit mitis, & asperior.

Parcit contenta capellis.

Ad Hieronymum Arconatum bellicum Cæsareæ majestatis Consiliarium.



Ast at securus cum devorat ursa capellas:
Quando quæ tribuat pabula pastor habet.
Si cavet humanas attingere bellua carnes:
Horrida quo saturet viscera nacta cibum.
Quidni cum satis est, aliena sorte, bonisque
Discat quisque suas abstinuisse manus?

Ad Ludovvicum Schvvartzmeierum à Schvvartzenau Iurisconſultum, & S. Cæſareæ majeſtatis Conſiliarium appellationum.



Frigida quem tenui concepit ab igne calorem,
Hunc tabeſcentem non tenet unda diu.
Nec manet adverſæ ſententia credita menti,
Nec mores animo non retinente manent.
Sed manet ingenium quicquid peperitve, ſovetur,
Vt nunquam ingenitus cedit ab igne calor.

Sese cutis ipsa tuetur.

Ad Antonium Carray Illustriss: Principis VVirtembergensis apud Montbelgardenses Consiliarium.



Magnum multa suis elephantem vespa fatigat
Morsibus: huic nec opem cauda, pedesve ferunt.
Sed calvum mira superat tamen arte columbum:
Hic vespas motu pellit: at ille necat:
Crudelesque ferus dura cute contrahit auceps
Rugas: vespa quibus capta, fremensque perit.
Vincere quando feros nulla vi possumus hostes:
Quidni victa sagax suppleat arma dolus?

Contractæ latitant.

Ad Hectorem Carray Antonii F. VVirtembergenſem apud Montbelgardenſes Vicecancellarium.



Si denſum ferias olus bacillo:
Erucæ hinc ſubito cadent in orbem
Contractæ: ut fugiant necem latentes.
Quo mores hominum loco, fidesq́;
Non eſt tuta ſatis: tuas in unum
Res compone magis latendo tutas:
Vt vites avidas manus, & hoſtem.

Ut lenis cicurat manus.

Ad Iulium Fridericum Carra Hector. F.



Et lenis cicurat ferociores,
Et demulcet equos manus periti
Mangonis: ratio quibus negata est.
Et sunt qui placido probe suorum
Placentur monitu, ferosque mores
Deponant, memores suæ salutis.

Firmi

Firmi ſunt roboris inſtar.

Ad Iohannem Stoffelium Norib: VVirtembergicum apud Montbelgardenſes Conſiliarium.



Hæc tenui cum ſint, nec firmo caudice: ſurſum
Conſcendunt aliquo robore piſa tamen.
Forſitan aſcenſus quæ ſit mirabere cauſam:
Firmi claviculas roboris inſtar habent.
Si propriæ non ſint: externas ſuscipe vires:
Nec certam oblatæ deſpice ſortis opem.

Salva

Salva radice secantur.

Ad M. Iohannem VVegenerum Pomeranum.



Multa ferox, at non depascitur omnia frigus:
Radix, si pereant cætera, salva manet.
Hortum qui colitis teneros abscindite caules:
Ne qua tamen damnum secta propago ferat.
Et vos: chara quibus certò commissa juventus
Verbis, & docta est corripienda manu:
Hanc regite: & cautè pueriles tollite nævos:
Ne qua boni pessum germina floris eant.

Feret pars secta salutem.

Ad Christophorum Pflugium equitem Misnicum.



Cum secat arboreo graciles à caudice ramos
Villicus: aut aliud si quid obesse putet:
Haud nocet: illæsâ nocuas at ab arbore partes
Tollens: spem fructus uberioris habet.
Ergo nec est veterum ut quicquam monumenta querantur:
Si quod ab integro corpore dogma cadat.
At neque lex pravis per vim cum moribus obstat
Et ferro avertit damna, vel igne nocet.

Una ſat eſt uni.

Ad Iohannem Angelum nobilem Pragenſem.



Centum taurus habet ductas ad paſcua vaccas:
Cum conjux uni ſit ſatis una viro.
Quælibet una ſemel concepto ſemine taurum
Toto dum pariat tempore vacca fugit.
Fœmina quæq; tamen quem diligit ipſa mariti
Complexum quovis tempore prompta petit.
Vna ſed excipitur, miris quam Scaliger effert
Laudibus. Haud mulier, vacca ſed iſta fuit.

Ex ramo enaſcitur arbor.

Ad Chriſtophorum Chriſtophori Füreri ab Hammendorf Reipubl. Norib: Triumviri, reiq; bellicæ præfecti ſupremi filium.



Non perit exciſus materno à caudice ramus:
Secta nec ex ulla talea parte perit.
Sed ſata complures aucta parit arbore fœtus:
Arboreasque gravi fœnore promit opes.
Filius ergo ſuum patremque domumque relinquat:
Ut propriam poßit prole replere domum.

Melius ſapit abſque ſapore.

Ad Generoſum Baronem D. Danielem Duditz de Horechovvitza.



Quoslibet eximiè dignoſcit lingua ſapores:
Cum nihil ex ſeſe nata ſaporis habet.
At ſi quem proprium ſibi ſecerit ante: ſaporis
Iſtius quicquid percipietur, erit.
Quisquis es hæc etiam complectere dogmata ju- *(dex:*
Naturam ut pura mente ſequare ducem.
Ne qua tuos odiis pervertat opinio ſenſus:
Forte vel injuſtus te quoque captet amor.

Conjunctæ ſuperant vires.

Ad Martinum Carolum Martini Halleri ab Hallerſtein ſenatoris & ſcholarchæ Norici filium, affinem meum.



Quam duodena virum, conjunctaq; robora tollunt:
Hanc nulla poteris parte movere trabem.
Totum nempe movet qui partem dimovet unam:
Tantus cum toto quamlibet unit amor.
Quod ſolus nequeas opus: ſodales
Hoc tui juncto ſuperent labore.
Crede, nec oblatas nimis unquam deſpice vires.

Juvo clausa, patensq;.



Excipit oblatas, dominoque rependit aperta:
Clausaque servandas janua servat opes.
Vestras o pueri discendo recludite mentes:
Vestraq; sit partis firma, tenaxq; fides.

Sordes

Sordes acquirit, & aufert.

Ad Nicolaum Conradi Rittershusii I.V. Doctoris & Professoris filium.



Quo magis à sacri profluxit origine fontis:
Hoc magis impuros efficit unda lacus.
Rivus at humano quo plus à fonte recedit.
Puras plus nitido flumine fundit aquas.
Nempe quod offertur mens inficit, atque repurgat:
Et rebus sordes dat, removetque suas.

Formamq; imitata, jocosq;.



Ecce quam grato ſpeculum fatigat
Felis aſpectu: ſpecie, jocisq;
Quam repræſentat ſimilis per omnes
Altera nugas.

Nonne imitata vides amplos collaria ventres:
Turris & ut miſerum comprimat iſta caput?
Rebus ut eſt ſpecies: felisq; ſimillima feli:
Et ſimiles geſtus filia matris habet.
Sic nova depravat teneros inſania mores:
Quosque novo flectat munere ſemper habet.

Affuſa

Affuſa exæſtuat unda.

Ad Arnoldum Clapmarium Hiſtoriarum Profeſſorem Altorfi.



Frigida ſuccendit conſperſa in calce calorem
In qua paulatim diſperiturus erat.
Sunt qui compreſſa vindictam in mente recondant:
Collabi vires dum ſinat ira ſuas.
Mollibus hisce tamen gelidam ſuffundere verbis,
Sublatumq́; latens qui volet eſſe malum:
Hoc aget ut magno ſeſe efferat ira furore:
Quæ latitans aliàs nil nocitura fuit.

Tractu cogente sequetur.


Ad Carolum Caroli Grundhern senatoris Norici filium affinem meum.



Tota per inflexum conscendens unda canalem,
Et labentis aquæ pondere tracta fluit.
Nam sacra naturæ lex est fugientis inane:
Corpus cuique suum quæ jubet esse loco.
Cur nos naturam non hac quoque parte sequamur:
Sedula ne quid iners, mens vacuumve ferat?

Clauſa hæc, & aperta juvabunt.

Ad Gabrielem Gabrielis Scheurle Norici filium.



Quæ nunc clauſa juvant: etiam recluſa juvabunt:
Si quando tacuiſſe juvet: juvat eſſe locutum.
Nec clauſo mutus: nec aperto garrulus ore
Sis ſemper. Si nunc taceas, aliquando loquaris.
Poſtea, ſi loqueris, taceas: tempusq́, modumq́
Obſervans: uſu lingua ut tua proſit utroq.

Avertet via facta ruinam.

Ad Ioh: Sixtum Antonium Had de Prosocze nobilem Bohemum.



Bellica pernici quem torquet machina motu
Disjicit hic magna mœnia clade globus.
At minus infracto penetrans nocet impetus ictu:
Mollis quando viam creta lutumve facit.
Quos arcere tuis nequeas à finibus hostes:
His pateat quovis semita facta loco.
Tollere si qua nequis placidè convitia perfer:
Ne verbis fiant asperiora tuis.

Aliis conſumor ut obſim.

Ad Iohan. Adalbertum Vrſum LL. ſtudioſum.



Pluma velut tetrum ſuffitu exhalat odorem:
Pluribus & fœdo cum perit igne nocet.
Haud ſecus eſt multis lædendi prompta voluntas:
Qui multum ut noceant maxima damna ferunt.



Nihil est nisi ramus ut hæret.



Dum viget in proprio consistens caudice ramus,
Vires exiguæ non nisi partis habet.
At satus ingenti succrescit mole, vigetque:
Arbor & est qui pars arboris ante fuit.
Deserat ergo suos maturo stirpe parentes:
Seque suo jungat nupta puella viro.
Huncque brevi multa ditabit prole maritum:
Quæ prius una suæ filia matris erat.

Aliena

Aliena prole superbit.

Ad Paulum Pauli Coleri Senatoris, & Scholarchæ Norici filium.



Cernis ut hæc variis exultet fructibus arbor:
Cum plures ex se non ferat una tamen.
Propria dum non est, aliena prole superbit.
Sic quod naturâ non datur, arte datur.
Quos à consiliis venerando munere princeps,
Res ratione suas ut moderetur, habet.
Hi sunt sæpe suis addicti rebus. Adauget
Insita namque suum talea quæque genus.

Vivunt

Vivunt à caudice rami.

Ad Antonium Neudorferum.



Prima quisque ſuos caudex ab origine ramos
Suſtinet: hosque ſua nutrit, & auget ope.
Quos vitæ normam: varias præceptor & artes
Quos docet: hosce boni caudicis inſtar alit.

Validè propulſa redibit.

Ad D. Iohannem & D Adrianum ab Vnruh in VVendtſtatt & Banſen.



Eſt genus hoc hominum, quos ſi quis forte repellat:
Vt pila ſunt, ſubito quæ procul acta redit.
Nempe ſuo impingens adverſa in corpora motu:
Hunc petit, unde fuit miſſa, repulſa locum.
Si tibi quis fuerit fortaſſe moleſtior hoſpes:
Quem ſemel eductum nolle redire velis:
Hunc placido incautum præſtat dimittere vultu:
Quàm pulſum foribus durius eſſe tuis.

Non metuit fœmella marem.

Ad Stanislaum Bogusz de Ziemlice nobilem Polonum.



In cane fœminei lucet reverentia sexus:
Non timet iratum fœmina quando marem.
Namque mares alios cum morsibus arripit omnes:
Fœmellam clauso mas tamen ore timet.
Quanta sed humanos agat ecce ferocia mores:
Cum fugit avulso fœmina crine virum.
Insignemque parit victoria parta triumphum:
Quem vir de victa conjuge victor agit.

Fumus flammæ proximus.



Lucida sæpe leves dissolvere flamma tenebras
Fumo de lignis exiliente nequit.
Nec tantas virtus, nec tot sapientia vires:
Possit ut exiguum tollere crimen, habet.

Inhibet via clauſa regreſſum.



Quæ capit incautos averſa cuſpide piſces:
Egreſſum objecta cuſpide naſſa negat.
Si quem forte ſuo pellexerit improba nutu:
Hunc ut ſe ſtimulis cogat amare Venus:
Incidit in validos præda hæc bene ſaucia caſſes:
Et captare fugam poſſe libido vetat.

EMBLEMATA NVDA.

I.

Quantumvis icta reſiſtit.

Quæ fuſte obtuſo duriſsima tunditur arbor:
Stans hæc quanto vis robore tuſa manet.
Sic quibus ingenii natura negavit acumen:
Hi multa efficient ſedulitate nihil.

II.

Inhibent alimenta regreſſum.

Quæ muri tenues tenella rimas
Com pulſu facili ſubintrat arbor:
Conatu tamen hæc adaucta nullo
Ramos inde ſuos ſinet revelli.
Quando ſodalitium vitiis alimenta miniſtrat,
Hæcque ſuo paſtu, blanditiisque fovet.
Firmiter hæc jactis animo radicibus hærent.
Hocque medela malum tollere nulla poteſt.

III.

Idemq; juvatq;, nocetque.

Luxuriante quidem ſuccreſcunt plurima motu:
At non pingue petit qualibet herba ſolum.

Quid juvat uviferas foliis excrescere vites?
Quid betas, & olus luxuriare nocet?
Discere nonnullos perterrita cogit egestas:
Nnnullos etiam non remorantur opes.

IV.

Veteris vestigia formæ.

Quem veteri augescens arbuscula caudice nodum
Contraxit primo dedecorata satu:
Hujus in evicto vestigia tergore servat.
Nec delet veteres aucta juventa notas.
Tollere si prima jactos ab origine mores:
Siq; velis veteres amplificare domos:
Indeleta manent veteris vestigia formæ:
Primaque firmata dogmata mente manent.

V.

Brevis est sine robore vita.

Hæc sine subjecta vivit radice, vigetque
Ostentatque suum talea flore genus.
Haud tamen hæc ullo poterit ditescere fructu:
Quin pulso pereat vita virore prius.
Quisquis ad extremum subito conscendit, & imos
Negligit ingenio magna petente, gradus.
Hic licet eximii lætetur imagine fructus:
Ceu res illustri stet bene gesta loco:
Non erit ulla tamen speciosis gloria rebus:
Robore quæ stabilis sit, vigeatque suo.

VI. Nul-

VI.

Nulloq; fit amplius haustu.

In vastum assidue maris barathrum
Magnis è fluviis citatiores
Circumquaque fluunt aquæ: nec ullum
Hæc tam magna parit vorago flumen.
Non his crescit aquis tamen: sed omnes
Occultis pereunt viis abactæ.
Hæc cave damna, tuis & rectè consule rebus:
Qui benè servandas undique cogis opes.
Ne te vel cæco, gelidisve putrente sub umbris
Has ignota petat, diripiatque manus.

VII.

Pondere tolluntur firmata.

Maxima constringens attollit pondera forceps:
Et majora minus tamen resistunt:
Morsum quæ faciunt magis tenacem:
Firmius ut sursum quo sunt graviora trahantur.
Qui magistratum juvenes protervis
Moribus vexant, nimiove fastu:
In graves tandem recident tenaci
Pondere pœnas.

VIII.

Nimis aucta mole tenentur.

Motacilla suo quem fovet editum
In nido, cuculis corporis obstruens
Aucta mole viam non habet exitum.

Itala

Itala deliciis circumflua terra, jocisque
Sæpe juventutem, Germanaque pectora captat:
Qui (velut à validis præda obruta caßibus) hæret:
Aut reduces teneri cruciantur imagine luxus.

IX.

Alienis incubat ovis.

Quænam avis hæc est quæ suo sedula
Educat in nido suorum vice
Suppositos fœtus?
Miror an insignes non hoc curruca maritos
Exemplo doceat. Laudemne vel execrer? Atqui
Sæpe fit. Hæc hominum stabilita est jure voluntas.
Dum nullus repetit, tibi quæ sunt parta teneto.

X.

Se pungens ipsa necabit.

Si quem compungant, acri sua spicula punctu
Amittunt, & sic emoriuntur apes.
Quando nocere voles: injuria facta cavebis
Ne graviora tibi damna, necemve ferat.

XI.

Dominis post verbera plaudunt.

Quantiscunque canes ictibus à suis
Tundantur dominis: non fugiunt tamen:
Vlciscique suos esse putant nefas.
Oderunt rigidos nec pueri patres.
Et vos judicio juvenes graviore cavete:
Ne præceptores ultio vestra petat.

Maxima

Maxima sed vestris sectantes commoda rebus
Discite si quæ sint asperiora pati.

XII.

Multoque tumentia suctu.

Prima quando pulex muliebres vellicat artus
Mole: potest celeres effugitare manus.
At sua cum multo distenderit ilia suctu:
In duras veniet præda petita manus.
Nec potis est noster vitare pericula miles:
Dulcia cum pleno gutture vina bibit.

XIII.

Formamque imitatur, & usum.

Frondes uviferæ lupulus gerit æmula vitis:
Et vires etiam quas imitetur habet.
Si teneræ fugiunt aquilonia frigora vites:
Quod nos hisce tamen substituamus, erit.
Doctrina celebres, rerumque imitaberis usu:
Quos æquare tamen non potes arte viros.

XIV.

Dum multo molliat ictu.

Cuprea per multos fit lamina flexilis ictus:
Et dura cedit mollificata manu.
Multaque dissolvens mordax emollit acetum:
Quæ solvi nullo posse liquore putes:
Quin & dura feros evincere verbera mores:
Quæque renittuntur flectere membra solent.

Acquirit

XV.

Acquirit morte vigorem.

Si facit esuriens ardore lupina voracem
Pellis inexpleto cum fovet ore lupum:
Plurima sed multo fit maximus ardor habendi:
Pellis inexpletum si tegat ista senem.
Quisquis es humanos cum sis homo suscipe mores:
Ne quis avaritia te putet esse lupum.

XVI.

Motuq; sonoq; fatigat.

Vesicam si forte voles appendere feli:
Cui multum reddant indita pisa sonum.
Annexum frustra gyris, & saltibus hostem
Hic fugiens multo damna furore feret.
Sæpe graves odiis infert injuria noxas:
Majus & est motu vim tribuente malum.
Huic tamen una suo patientia marte medetur:
Felis enim melius quando quiescit, habet.

XVII.

Magis hæc à morte juvabunt.

Multus in effuso cum flumine piscis oberrat:
Susque per arentes quando vagatur agros:
Haud quicquam conducit: inertis ad otia vitæ
Magna saginato corpore pœna manet.
Si tua cunctantes socrus invida protrahit annos:
Atque suas retinens mordicus auget opes.

Perse

Perfer, & exposito tuâ neglige commoda vultu;
Nam qui te recreet, tempore crescit adeps.

XVIII.

Nullo saturabitur haustu.

Culpat inexpletum sitiens hydropicus ignem:
Semper avarus egens culpat utrumque senex.
Ignis ligna petit: sed aquas hydropicus optat.
Et semper querulus quærit avarus opes.
Hisce tamen lignis opibusque medemur, & unda:
Certam namque ferunt quando negantur opem.

XIX.

Accessu nocitura suo.

Densa nocent umbris splendenti corpora tedæ:
Majus & accessu fit propiore malum.
Quin ita sæpe suos aditu prohibere sodales:
Et lucem obscura demere mole solent:
Proxima quæque boni quibus ostia regis, & aures
Accessu justo liberiore patent.
Princeps ergo procul qui vult arcere tenebras:
A se dimoveat corpora densa procul.

XX.

Accersit moritura malum.

Devia sollicito complet nemus omne boatu;
Errantemque jubet vacca venire lupum:
Sæpe vocata venit, dimissaque jussa redire
Fæcundas repetit dira podagra domos.

Infan=

Infandoque necat dominum complexa dolore:
Vina quod accersunt, ira, Venusque malum.
Hæc spectans documenta tuis bene consule rebus:
Ne quid casta mali mens, animusve ferant.

F I N I S.

Errata sic corrige.

D. 3. pro fragrant lege fragranti. E. 8. pro Frixium lege Firxium. F. 6. pro quam lege quem. H. 6. pro discepta lege discerpta. H. 8. pro benefactum lege bene facta.

I. 4. pro cursus lege cursu. K. 2. pro macerant lege excruciant. K. 5. pro macerent lege crucient. L. 4. pro altera C. lege altera sit. L. 5. pro Nec lege Ni. M. 3. pro fovetur lege fovetue.

CARMINA FUNEBRIA,

QVÆ MAGNORVM ALIQUOT, CLARORUMque virorum felici memoriæ dicavit.

NIC. TAVR.

NORIBERGÆ,
Typis Christophori Lochneri.
M. DCII.

Benigno lectori.

CUM omnes hosce viros, & doctos, & celebres (qui decem, vel vndecim annorum ſpacio de vita deceſſerunt : quos etjam omnes noveramus : & quidem, vix uno aut altero exceptis, familiariter) ſempiterna memoria dignos eſſe judicaremus : ne nos eorum facilè caperet oblivio : hæc carmina conſcripſimus. Quæ cùm à noſtris emblematibus non viderentur eſſe aliena : cumque ſciremus hæc multis ſtudioſis, doctisque viris ob gratam defunctorum memoriam accepta eſſe futura, non potuimus, quin ea huic emblematum operi adijceremus.

Nic. Taur.

PHILIPPVS GEVDERVS SEPTEMVIR NORICUS, ET SCHOLARCHA,

Obiit 2. Octobr. Anno 1581.

QVANTA sit invictæ concessa potentia mort:
O vir quem decuit multis de millibus unum:
Maxima quos dicit patriæ Germania patres:
Nunquam posse mori: vel centum posse per annos
Felicem incolumi producere corpore vitam.
Quid fera mors possit sua vibrans tela PHILIPPE
Sat GEUDERE *doces magnæ decus urbis: & am-*
Exemplar variis imitabile dotibus orbi. (plo
Maxima quem promptum dubiis prudentia rebus:
Rerum quem locuples fecit doctrina disertum.
Et sua quem docto celebrâre poëmata versu.
Adde facultates, claræque insignia gentis:
Ne qua refragetur completæ gloria laudi.

CHRISTOPHORVS HERDESIAnus, Noricæ Reipub. consiliarius.

Obiit Noribergæ 1585. 22. Decembris.

GLoria magnifici Geuderus prima senatus:
Inter Doctores HERDESIANUS *erat.*

Si quem clara ſacri, locuples que ſcientia juris
Evehit: excellens HERDESIANUS *erat.*
Si quos ingenium, vel doctæ mentis acumen
Commendat: præſtans Herdeſianus erat.
Si quos Divinæ celebrare volumina Legis:
Inter præcipuos Herdeſianus erat.
Si quos humano celebrat ſapientia captu
Tradita: Laus medii nominis ejus erat.
Forte voluntatis, morumque requiris honores:
Optimus in primis Herdeſianus erat.
Ut magna hæc fuerint, tamen inſuperabile fati
Robur, ut occideres Herdeſiane fuit.

WOLFGANGUS HALLERUS,
tribus olim Palatinis principibus à conſiliis,

Obiit Ambergæ 2. Septemb. Anno 1591.

NEc te nobilitas, nec opes HALLERE *tueri,*
Nec doctrina, piæ nec potuere preces.
Nam fera mors dites pariter, doctosque, piosque,
Et ſpreta quosvis nobilitate petit.
Te tamen una jubet poſt funera vivere virtus:
Et bene tuta tuum gloria nomen habet.
Nam tua principibus doctæ ſolertia mentis
Sat perſpecta fide, conſiliisque fuit.

Sacra-

Sacrarumque frequens tua te meditatio rerum
In sacris celebres extulit ante viros.

BARTHOLOMÆUS POEMERUS Septemvir, & Scholarcha Noricus.

Obiit Noribergæ 25. Octob. Anno 1590.

NORICA *miraris tantum Respublica nomen,*
Quare præ reliquis nacta sit urbibus.
Prudentem una facit moderatio nempe Senatum:
Qua virtute suis imperat optimè.
Hacque super reliquos excelluit optimus omnes
POEMERUS *patrii gloria stemmatis.*
Quem dolet ob multos Academia nostra labores
Quod mors intrepidè sæva peremerit.

ANDRÆAS DUDITIUS annos natus 56.

Obiit Uratislaviæ, Anno 1589. 13. Febr.

I*Mproba Duditium mors est etjam ausa Baronem*
Tollere: qui reliquos inter spectabilis omnes
Et fuit ingenio solers, & acumine mentis
Lynceus. In variis præclara scientia rebus
Parta per assiduos noctuque, diuque labores,
Quem passim doctis prope prætulit omnibus unum.

JACOBUS SCHECKIUS
Medicus & Philosophus Tubingensis,

Obiit Tubingæ 1587. an. 9. Maji.

TUque meos inter meritò charissime SCHECKI
Jam præceptores grato memorabere versu:
Quem fera complures mors non est ausa per annos
Attentare virum: quin flexa labasceret ætas:
Cujus Aristotelem studio Germania cœpit
E densis eductum agnoscere velle tenebris.
Vir fuit insigni doctrina clarus: & acri
Judicio poterat subtiles solvere nodos.
Carmina qui potuit conjungere græca latinis
Versibus: & facili tractare mathemata ductu.
Quem neque magna sacræ fugere volumina legis,
Nec fidei gravibus perplexa negocia rixis.

SEBALDUS WELSERUS,
senator Noricus.

Obiit Ulmæ, 1, Septemb. Anno 1589.

TEque senatorum spes non postrema, decusque
Mors VVELSERE *tuis conatibus invida fregit:*

Ne-

Ne, quibus ingenii poteras excellere dotes:
Et tua te bonitas, & sobria vita, laborque
Ad summum eveherent rerum, laudisq; cacumen.

THEODORICVS SCHNEPFIVS.
Theologiæ professor.

Obiit Tubingæ, Anno 1586. 9. Novemb.

INter Divinæ præstantia lumina legis:
Quos habuit celebres docta Tubinga viros:
Non postremus erat facundo SCHNEPFIUS *ore:*
Si primum nolis obtinuisse locum.
Hunc schola præ reliquis: hunc & studiosa juventus:
Et merito cives hunc coluere virum.
Ejus namque decens placidos moderatio mores
Fecit ut ad laudes adjiceretur amor.

THEODORVS ZWINGERVS,
Medicus & Philosophus Basiliensis,

Obiit Basileæ, an. 1589. Martii mense.

TE decus Helvetiæ varii ZVVINGERE *labores:*

 Et

Et vis ingenii: sagax, & acre
Mentis judicium viros celebres
Inter sede locant honestiore:
Et tibi promeritum Basilea rependet honorem:
Dum tua te totum celebrent monumenta per orbẽ.

HUGO DONELLUS, JURIS PROFESSOR.

Obiit Altdorfi, Anno 1591. Maii 4.

QVi Domini fuerat, cum viveret HUGO
*D*ONELLUS:
Hic etjam Domini cum moreretur, erat.
Qui sua deposuit benè fido membra sepulchro:
Ut cæli melius carpere posset iter:
Et sua liber agat terrestribus otia curis:
Dum putrefacta velit vivere membra Deus.

FRANCISCUS HOTOMANNUS,

Obiit Basileæ, Anno 1590. Febr. 5.

ELoquar, an sileam? Sedes Hotomanne Donello
Proxima jure tibi parve, priorve fuit.
Hunc habet Altdorfum: sed te Basilea recepit:
Quos fera non potuit Gallia ferre viros.
Maxima dicendi decoravit utrumque facultas:
Vix potuit Cicero suavius ipse loqui.

Hæc-

Hæcque fuere ſacri duo maxima lumina juris:
Dignaque mens pariter, linguaq; laude fuit.
Attamen hiſtoriæ, Romanorumq; vetuſtas (fuit.
Hæc tua præ reliquis laus HOTOMANNE
Quis tot non metuat ſatis aucto in corpore vires?
Mors nullo domitum robore robur habet.

BASILIUS AMERBACHIUS,

Obiit Baſileæ.

TE quia tutari multo Baſilea nec auro:
Nec valida potuit, quin morerere, manu.
Reſtat AMERBACHI *tua te poſt funera vivum*
Ne ferat extincto corpore poſſe mori.
Quo tua ſi nequeat benefacta rependere niſu:
Servabit laudes extera fama tuas.
Nam tua te veſtri veneranda peritia juris
Inter præcipuos juſſit habere locum.
Et tua nos pietas, & amor, ſtudiumque, fidesque
Sæpe tui memores nominis eſſe jubent.

JOHANNES JACOBUS VVECKERUS,

Obiit Colmariæ, Anno 1586. 4. Maii.

ALſaticas inter Colmaria nobilis urbes (nos
Te VVECKERE *ſocer compluresuſa per an-*

Condigno medicos complecti cœpit honore,
Et medicas adhibere manus: & noscere fraudes.
Nec tua te solum felice industria praxi
Magna: sed aßidui celebrem fecere labores:
Seu tua commemorem multo gratißima fructu
Scripta juventuti: tua tandem sive probetur
Dexteritas multum chymicos spectata per ignes.
Nostra sed urenti cum mors (mala simia) febre
Corpora destillat siccos imitata chymistas:
Spiritus in tenues tenuißimus effugit auras.

THOMAS ERASTVS,

Obiit Basileæ, Anno 1583. mense Decembri.

Eliciique sagax medicinam fecit ERASTUS
Sucessu: Physicisque graves dissolvere nodos
In rebus potuit, causasque docere latentes:
Ausus in aurifices etjam properare chymistas.

JOANNES BAVHINVS,

Obiit Basileæ,

JOAN-

JOANNES SCHENCKIUS,

Obiit Noribergæ, 17. Novemb. Anno 1588.

Rauraca BAUHINUM *magni Respublica fecit:*
Et fecit pariter Norica SCHENCKIUM.
Arte fuere pares: felixque beavit utrumque
Successus duplicis fœnore commodi.
Nam revocata salus certæ dedit artis honorem:
Adjecitque gravis dona pecuniæ.
SCHENCKIUS *ipse fuit parto locupletior auro:*
BAUHINUSQUE *sua prole beatior.*
Namq; duos moriens (nomenq; artemq;) reliquit,
Præstantes medico nomine filios.

GEORGIUS PALM,

Obiit Noribergæ, Anno 1591. April. 20.

Ergone qui vitam reliquis proferre GEORGI
PALM *poteras, anima diffugiente jaces?*
Hicne jaces alios qui pulsa morte tueri,
Et quodvis poteras sæpe fugare malum?
Ne mirare: meis agitata laboribus omnes
Mors in me vires contulit atra suas.

SIGI-

SIGISMUNDVS HALLERVS,
Engelthalensis præfectus,

Obiit Engelthal. Anno 1589. Jun. 14.

SVavis ut HALLERUM *gravitas: & quanta*
Gratia nativos vultus hilararit honores(sereni.
Quæ referat nostro est vix tanta in carmine vir-
Nec minor expertæ longum prudentia menti: (tus.
Et doctrina fuit complures parta per annos:
Historiisque sacri decorata scientia juris:
Linguaque completæ fuit addita Gallica laudi.

JOANNES STVRMIVS, ARgentin. Academiæ Rector,

Obiit Argentinæ, Anno 1589. 3. Martii.

INclyta cur STURMI *cum totus te colat orbis,*
Argentina suum te neget esse decus?
Urbs, schola, & amoto selecta ex orbe juventus,
Quosque facit celebres docta senecta viros:
Et decus agnoscunt: & ditis munera THOMÆ:
Doctaque scripta tui dona laboris habent.

CHRISTOPHORVS FAB. GVGEL
Noricæ Reipubl. consiliarius,

Obiit

Obiit Noribergæ, Anno 1586. 10, Septemb.

CIvica turbatis fecere negocia rebus:
Certaque continuos prudentia nacta labores:
Clarus ut ante alios fieret GUGELIUS *omnes:*
Consilioque gravis, facilique labore disertus.
Norica cui gravibus saturo Respublica donis
Æternumque decus, meritosque rependit honores.

ESROMVS RVDIGERVS PABEB,

Obiit Noribergæ, 2. Decemb. Anno 1590.

ASpera quem plures fortuna exercuit annos:
Morbis exilium concomitantibus.
Hic tamen ESROMUS *bene forti pectore quidvis,*
Adjunctisque jocis pertulit optimè.
Hæc non ex Physicis cepit solatia rebus:
Quarum ipsi fuerat clara professio.
Maluit hic Psalmos magni tractare Prophetæ:
Quem fregit furiens nulla molestia.
Cumque adeò vitam miserè degisset: acerbæ
Vim mortis potuit vincere promptius.

HIERONYMVS WOLFFIVS,

Obiit Augustæ, Anno 1580. 8. Octob.

ETfacit insignis doctrina, laborque, fidesque,
Ut grato memorem carmine WOLFIUM.

Nam-

Namque juventuti vix quisquam præfuit alter:
Quem virtute sua non superaverit.
Sedula dexteritas, Græcaque peritia linguæ
Hunc fecere suis laudibus inclytum.

JOANNES RICHTHAUSERUS,

Obiit Noribergæ, 13. Octob. Anno 1585.

NICOLAVS RICHIVS,

Obiit Argentinæ, Anno 1583.

AT velut oppositos duxit moriturus in hostes:
Servet ut intrepida seque, suosque manu:
Sic tua te virtus ô RICHTHAUSERE, *fidesq́;*
Pro patriæ fecit velle salute mori.
Non est humano generi truculentior hostis,
Nullaque peste magis lædit, obestque lues.
Huncque tuis arcere volens à civibus hostem:
Certam non poteras effugitare necem.
Teque nimis macerans alienæ cura salutis:
Et tua te mortem fecit obire fides:
RICHI: *quo nec erat melior, nec apertior alter.*
RICHI *Nestorios vivere digne dies.*

SEBA-

SEBASTIANVS SEDELMEIER, Gnadembergensis præfectus,

Obiit Gnadenb. Anno 1590. Maii. 3.

CVi bene per varios patuere negotia casus,
Multorumque diu curia principum:
SEDELMEIERUS, *quem multo exercuit usu*
Excrescens vegeta mente sagacitas.
Quemque Palatinus spectata industria rebus
Magnis, & meritò laudibus extulit.
Attamen hic nulla potuit virtute, nec astu:
Vt tutus fieret mortis ab ictibus.

CAROLVS ANTIQVIORIS prosapiæ comes ab ORTEMBURG,

Obiit in Italia Patavii, Anno 1591.

HEu quanta rabie mors in juvenilia sævit
Corpora. Dira leves ceu devorat ursa capellas:
Aut ferus esuriens rigido lupus ore tenellam
Mactat ovem: nondum florentibus occidit annis
ORTEMBURGIACÆ *spes* CAROLUS *optima gentis:*
CAROLUS *excelso grati quem corpore mores,*

Atque

Atque serena sui decoravit gratia vultus.
O mors speranti, & timido nimis invida patri.

JOANNES LIWALD JURIS STUDIOSUS,

Obiit Altdorfi, Anno 1591. 17. Aprilis.

De cujus morte scriptum hoc est carmen ejus patri viro docto D. JOANNI LIWALD, senanatori Marienbergensi.

VT gestent teneros est grave matribus,
Et res ut pariant est fera liberos.
Quin est res miseris dura parentibus:
Hos ad legitimum tempus ut educent:
Hic cura est teneri maxima corporis:
Et cura est animum major ut excolant:
Adjunctusque metus sollicitudini:
Ne quid forte grave sors pariat mali:
Quicquid suscipiunt, ægrius efficit,
At cum suadet iter carpere plenior
Ætas, & patriam linquere liberos:
Res hac est gravior nulla parentibus.
Ut cor à tremulo pectore se suum
Amisisse putent. Nec metus attamen
Quantacunque juvat sollicitudine.
Sed spes de reditu parvula paululum
Vix desyderio sustinet anxior.

At

At spes hæc etiam disperiit tibi
OLIVVALDE *boni gloria pectoris.*
Quem non immerito semper amaveras
Vnum præ reliquis, filius hic tuus
Invicta rigidæ vi febris occidit.
Qui jussu patriam deseruit tuo:
Hic mundum monitu deseruit DEI.
Nam parere tibi debuit, & DEO.
Quin parere DEO *te quoque convenit:*
Vt damnum placidè quod cedit, hoc feras:
Si damnum liceat dicere, filii
Quod sit vita tui facta beatior.

AUTHORIS DEFUNCTA PROLES.

HIC jacit ANNA *suo ci tempore sedula (nostræ* — Basil. an. 79 16. Januar.
Esse putabatur cura futura domus.
At fera funebres mors hanc accersere luctus
Jussit: ut hoc aliis prima pararet iter.
Postea tabescens alieno lacte IOHAN-*(*NES — Basil. an. 80 22. Sept.
ISRAEL *misere maluit ante mori;*

Quàm

Quàm procul avulsos ad Norica tecta parentes
Nos desiderio discruciare sui.

Altdorf. 81. 82. *Hos duo sunt etjam fraterq́ue, sororq́ue secuti:*
Lucem quos vetuit posse videre DEUS.
Attamen hæc aliis lux est concessa duobus:
Noster & ex aucto crevit amore dolor.

Altdorf. anno 85. 31. Aug. *Morbosq́ue ut posset vitare* GEORGIUS *omnes*
Hic voluit moriens accelerare fugam.

Alt. 86. *Quem soror* ANNA *pari cursu* CATHARINA *secuta est:*
Vt nos afficerent vitaq́ue morsq́ue minus.

At te noster amor memorare Philippe Ioannes
Alt. 90. 11. Aug. *Cogit: & hic idem te memorare vetat.*
Nostrum nempe vetat verbis renovare dolorem.
Vires qui nullas ut revoceris, habet.
Quin hoc commemorem: si spes de fratribus unquam
Vlla tuis: de te magna Philippe fuit.

Alt. 91. 3. Sept. *Cuiq́ue dedit patrium populi victoria nomen:*
Non is qui longum vivere posset, erat.
Quem cum septenos complerat, & amplius annos,
Sat placidè mortem jussit obire DEUS.

CAR-

CARMEN

Ornatissimo viro

D. ANDREAE LINCKIO NORIBERGENSI, J. V. D. CLARISS: SCRIPTVM:

cum ei castissima virgo URSULA ROTHIN Argentinensis, PETRI ROTH defuncti civis olim honestissimi filia matrimonio jungeretur, die Maji 24. Anno M, D. LXXXVI.

IAM patet excelso celeberrima culmine turris
Quo non est toto majus in orbe decus.
Amplaq; flexilibus saliceta virentia ramis:
Et vastæ Rheni conspiciuntur aquæ. (ctor,
Haud procul hinc urbs est reliquas, Clariss. Do-
Quæ superans summo statq;, vigetq; gradu:
Argentina tuos non despectura labores:
Quæq; tuum dulci pignore sistet iter.
Hic ubi te virgo desyderat una maritum:
Hic tibi fœmineum junget amica latus:
Quam tibi conjugio tradet, propriamq; dicabit
Noster, te solum qui vetat esse, Deus.

Hæc tibi Divino decreta est jure voluptas:
Quam per conjugium quærit, & auget amor.
Maxima vis hæc est stabili duo pectora nexu
Quæ fovet ad multos non peritura dies.
Lenta salix patulas ut vitibus alligat ulmos:
Connectitq; duas densa catena trabes:
Vrsula sic firmo sese tibi fœdere junget:
Et constantis erit parsq;, decusq; thori.
Ferrea sæpe levi disrumpitur arte catena:
Lentaq; sæpe [illegible]dit putrida facta salix.
Nulla tamen vestrum violentia solvet amorem:
Vestraq; persistet salva, tenaxq; fides.
Sed quibus ista modis conjunctio vestra vigebit:
Vestra ut persistat salva, tenaxq; fides?
Legitimis contracta vigent commercia pactis:
Mercibus, aut nummis salvaq; pacta manent.
Non hæc sufficiunt sociatæ pignora vitæ:
Iacturam crebro cum patiantur opes.
Maior in angustis sæpe est conjunctio rebus:
Et magis est tecto paupere firma fides,
Quin & in augustis minor est conjunctio rebus:
Et minus est tecto divite firma fides.
Iunge facultates, & magna munera sortis:
Seq; suo jungat nupta puella viro:
Non erit hic felix, nec erit diuturna voluptas:
Plena sed hic subito vita doloris erit:

Si non ſit conjunx animo cum conjuge junctus:
Vel non ſit verus, quo ſocientur, amor.
Prima voluntatis virtutes: altera mentis:
Corporis & ſpectat tertia cura decus.
Præclaras animi tua poſſidet Vrſula dotes:
Et mores jungit cum pietate ſuos.
Mensq; ſuis non eſt virtutibus orba: ſed artes
Ornamenta probæ virginitatis habet.
Siq; velis formam, placidosq; requirere geſtus:
Cuilibet iſta ſatis conſpicienda patent.
Forſan utrumq; voles ejus ſpectare parentem:
Et ſpectare voles forſitan eius avos.
Nomen, honosque manent, & nominis author ho-
(neſtas:
Hæc laudata ſat eſt, & ſat honeſta domus.
Clara Sigismundo Medicina ſcientia nomen:
Et dedit excellens hæc quoque nomen avo.
Ille patris frater celebres & principe dignas
Ædes, quæ magnum ſunt decus urbis, habet.
Hic qui nos quondam lætiſsimus hoſpes amicè
Ædibus excepit me, ſocerumq; ſuis.
Sed quid de ſocero? nimis hunc properata peremit
Et Medicis nimium pernicioſa febris,
Neſcius hunc morbi cupiens inviſere: ſed quid
Iſto lugubris tempore cura juvat?
Tu quoque jure petis lætos hoc tempore verſus:
Deq; tua ſcriptum virgine carmen amas.

Hæc tua formoso placidos in corpore mores
Sponsa gerens vero flagrat amore tui.
Et si quando manus dicatur forte sinistra:
Te Lincki memorans sæpe rubella rubet.
Dextrum sponse petis: sed amat tua virgo sinistrum,
Cumq; petas albam, candida rubra placet.
Hic amor est, animi firmissima vincula dotes
Quem valide nunquam disperitura tenent.
Præclaris adeò tua laudibus Vrsula gaudet:
Dignus & est ejus quo potiatur amor.
Si tamen has auget quæsita pecunia laudes:
Hic non spernendæ munera dotis erunt.
Nec tua chare minor laus est, & gloria Lincki:
Nec minus ipsa tibi, quàm placet, ipse places.
Omnibus hisce modis conjunctio vestra vigebit:
Atq; breui plures vester habebit amor.
Formosam dico, suavissima pignora, prolem:
Quæ sponsalis erunt vincula firma thori,
Hanc bene crescenti vobis Deus agmine sortem.
Tradat, & innumeros absq; dolore dies.

Colmarii:

Nicolaus Taurellus Medicinæ Professor Aldorfi Noricorum.

CAR-

CARMEN FUNEBRE:

Quod

SOCRUI SUÆ

ANNÆ KELLERIAE BASILIENSI,

Honeſtiſsimæ & verè nobili matronæ:

Olim

ISRAELIS ÆSCHENBERGERI, APUD BASILIENSES POLIGRAMMATEI:

Pòſt verò

JOH. JACOBI WECKERI: CLARISS. COLMARIENSIUM ARCHIATRI,

CONIVGI DEFVNCTÆ,

Scripſit

NICOLAUS TAURELLUS D.

OBIIT IV. NON. APRIL.

Anno 1596.

TOT neptes, & tot quæ viderat ANNA ne-
(potes:
Invida quos vitæ mors ſuſtulit ante pe-
(remptos:
Et quot adhuc Domino vitam tribuente
(ſuperſunt:
Plurima poſt triſtis languens incommoda
(vitæ:
H.nc tandē morbis cōfecta receſſit, & annis:
Quos moroſa dedit, cepitq; auxitq; ſene-
(ctus:
Ecquis in afflicto tantum conſiſtere
(robur
Corpore crediderit: quo tot ſuperare fe-
(rendo
Aerumnas poſſet, tātosq; evincere morbos?
Qualisqui abdomen tendens ſtagnan-
(tibus hydrops
Oppletaquis, duramq; prementibus obruit
(alvum.
Qualis & eſt feberis tabentibus hectica
(membris.
Imbellesq; cito curſu properādo per artus,
Dira, tenax queferosq; ſuſcitat auradolores
Quod mea fatali nacta eſt Catharina,
(trucique
Jure malū: crebroq; magis miſerabile partu
Fecit:

Fecit: In humanis ut miſcuit omnia rebus
Aſpera ſors: ne quid foret omni ex parte
(beatum.
Filia namq; ſuæ fuit æmula matris, & hæres,
Certaq; multarum naſcendo ſemina cepit
Virtutum: quæ poſt creſcentibus extulit
(annis:
Et benè materno multumq; exercita ductu,
Auxit felici tandem completa labore.
Rebus at audendis matri fuit, atq; fe-
(rendis
Plus animi, & major robuſto in pectore
(virtus.
O quam ſæpe metu imbellē ſolata maritū
Erexit: fractisq; labantes viribus ægros.
Filia quas habuit mentisq; animiq; ma-
(nusq;,
Et linguæ egregias, virtutibus ipſa virili
Robore, & invicto fervens excelluit æſtu.
Matronas facilè ut reliquas ſuperaverit
(omnes.
Haud tamen inferior mea tum Catharina
(fuiſſet:
Si vixiſſet adhuc bis denos ſalva per annos:
Vivere quam puduit: niſi vivens diſcere
(poſſet.

ALIVD.

IN MEMORIAM ET HONOREM CATHARINÆ ÆSCHENBERGERIÆ Basiliensis, Honestissimæ & verè nobilis Matronæ defunctæ: à NICOLAO TAURELLO Montbelgardensi, marito ejus derelicto mœstissimo scriptum.

Obiit Altorfii 6. Sept. Anno 1598.

Ergone jam miseræ superavimus omnia sortis
Fata: satisq́; tuæ fletum est à funere matris:
Spes quando affulget melioris nuncia vitæ:
O Catharina metu quæ jam propè libera prolis:
Sæpe fatigatas exsucco in corpore vires
Optata es tandem restauratura quiete?
Quid miser exultas misera de conjuge conjunx
Quæ sum ad perpetuos infelix nata dolores?
Quam tua vota tuis, promissaq́; gaudia rebus
Irrita felici spes tandem compleat hora:
Ante mori jubeor, nullos visura nepotes.

O Duram,

O Duram, & rigido productam ex pectore
(vocem.
Quid miserum excrucias? Tantam Deus optime
(cladem
A nobis averte. Rata est sententia mortis.
Væ mihi pestiferum mea jam jam in viscera
(virus
Sæuiit, infandis laniatq; doloribus. Ater
Intestina truci perfundit ab ulcere sanguis:
Oppressæq; gravi pereunt in corpore vires:
O Domine: o mi vir. Nostras ne desere mi vir.
Filiolas, rerum ignaras, sortisq; futuræ.
Quam vereor rigidam chara pro matre nover-
(cam
Aspera ne sors det. Veræ à me perfice cœptum
Obsecro te pietatis opus. Cave ne qua misellas
Visve, dolusve Dei à cultu, rectoq; salutis
Tramite deducat. Post hac tibi cura duorum
Incumbet; vestris quando divellor ab oris.
At mihi perpetuus fido pro conjuge Chri-
(stus
Sponsus erit. Nec enim nostra ad sponsalia, carne
Hac opus est: miserè quæ jam propè tota putrescit.
Conjunx o dilecte tuis benè prospice rebus.
Sponsam quære aliam, quæ sit tibi fida, tuisq;.
Hoc tamen extremum quod dant frigentia labra
Osculum habe. O nostri miserabile pignus amoris,
O bone

O bone Christe veni, nostræ spes una salutis;
Optatamque meis tandem cruciatibus horam.
Accelera: hancq; animã putrentib. eripe membris.
O mea quam metuo tantum Catharina dolorem,
Et tantam fractis ut poßim evincere cladem,
Viribus. Infaustas noctes lugebo, diesq;.
Tristitia, & mærore miser consumar in horas.
Has ego cum mœsto fudissem ex pectore voces:
Longaq; cum tardo traherem suspiria motu:
Dira fatigatum cepit convulsio corpus:
Et mea tum miserè tristi superata duello
Extincta est Catharina: sui quæ triste reliquit
Exemplar nobis moriens vitæq;, necisq;.
Et desiderium nullo saturabile luctu.
Virgineas alacri, & formoso in corpore dotes
Lugeo, dum memini nostrosq; recordor amores:
Quos spes atque metus dubiè, multumque diuque
Exacuere: thorum dum blandior aura jugalem
Concessit. Quæ nos socialis gaudia vitæ,
Per varios rerum casus, crebrosq; labores
Et propè perpetuo misera de conjuge morbos
Certantes: tria lustra cito fugientia cursu:
Octenosque super sustentavere per annos
Et ternos Lunæ cursus. Quibus antè peractis
Conjuge cum chara mea spes evanuit omnis.
Ecquid enim misero virtutibus hisce supersit
Amissis: per honesta quibus matrona solebat
Me co-

Me colere, & blandè venerata beare maritum:
Obsequio, curaque mei, prolisque, domusque?
O mihi quanta fuit dulci ex sermone voluptas.
O quam sæpè meos me consolata dolores
Leniit: ut dubiis crebra est injuria rebus.
Hæc ejus præclara fuit pietasq; fidesque.
Hoc animi robur validum, hæc constantia pectus,
Cum gravia adversi peperere incommoda casus,
Infractum superato omni discrimine duxit.
Mirè quin etiam varias ut discere artes,
Ingeniosa fuit: tensis intexere telis
Serica seu vellet, variasq; inducere formas:
Sive cibos vellet variantibus ipsa palatis
Offerre acceptos: ægrisve parare salubres:
Atque graves felice manu depellere morbos.
Præcipuè fæmella quibus correpta, virilem
Conspectum fatuo fugit indignata pudore.
Infantes & qui, teneraque ætate puellos
Externamque cutem vario molimine terrent.
Qualis quæ tensas lacerat mala pustula partes.
Aut incauta manus si quas ferventibus undis
Usserit: aut si quas pravum depascitur ulcus.
Sedula nempe quibus Chirurgica cura medetur.
O Tua quanta fuit Catharina peritia? quanta
Dexteritas & cura fuit? quam prompta voluntas.
O quos infelix & inops plebecula fletus
Edit: & infaustam per quæ suspiria mortem,

Haud

Haud oblita suæ queritur, lugetq; salutis,
Quæ tua perpetuo memori benefacta rependit
Mente: tuasq; vehit meritis ad sydera dotes
Laudibus. Ecquid enim subito, & feliciter? Ec-
Esse putes gratis si quis medeatur, & ægros (quid
Liberet expulsis defesso à corpore morbis?
His mea præclaris animi, mentisq;, manusq;
Viribus, egregias inter præcelluit omnes
Matronas Catharina: quibus bene cognita sacræ
Per magnum peperere decus mysteria legis.
Quæ sacra cantando Davidis metra prophe-
Lutheri egregios, Lobvvasseriq; labores: (tæ:
Meq; meamq; chelim præsens hilarare solebas:
Absens pro cantu fletum, Lachrymasq; rependis
O Catharina: quibus mea cum perfunditur horret
Tacta chelis: frustraq; tuos deposcere cantus
Tentat: & ereptum sibi plangens luget honorem.
Gaudia quæ superest post hæc amissa voluptas?
In luctu, lachrymisq; meos oblector amores
Exacuens: duroq; fovens Catharina dolore (nam
Quem paris, in silice: ô quantum confirmor, ut u-
Te mediter, tecumq; velim esse, & vivere tecum.
Sed mea me hinc prohibet pulchella recedere pro-
Cujus adaucta mihi est duplicato munere cura: (les
Cum nos desereres superas aditura per auras
Ad Christum: cum quo cælestis gaudia vitæ
Æternum capies, vivensq; beata manebis.

RE-

RECTOR ABRAHAMUS BURG- GRAVIUS ET BARO à Dhona.

S. D.

Professoribus, Præceptoribus class: & studiosæ juventuti.

FUNUS hodierno die fiet lectissimæ atque omnibus insigni virtutibus fœminæ, CATHARINÆ Cl. viri D. NICOLAI TAURELLI, de qua & ante mortem, cum gravissimo implicata morbo diceretur, magnam omnibus (licet enim de meo sensu æstimare) molestiam, & postquam palàm factum est, magnum dolorem ac propè incredibilem hausimus. Finxit enim nos natura mites, & misericordes, & doctrina consociat animos, & auget ipse sæpè aspectus, ac noticia sola charitatem. Laudes ejus neque possunt brevi hoc edicto capi, & notissimæ clarissimæque sunt.

Adde-

Adderemus tamen nos & hoc decus, si tàm facilè esset nobis antiquum morem claras fœminas publicè laudandi revocare, quàm illi proprium fuit antiquis moribus vivere. Vera & simplex laudatio est, exemplum emendatissimum omnis muliebris decoris fuisse. Vel hoc ipsum igitur incitando dolori augendoque mœrori erit. Quare ego si laudandam eam mihi in consessu vestro sumpsissem, non tam vererer ne copia atque oratio mihi deesset, tantantis ejus ante oculos adhuc spirantibus virtutibus, quam ne in tanta honestissimæ domus calamitate, parvorumq; liberorum miserabili aspectu, mens dolore impedita, lingua fletu debilitata, deficeret. Ne rogandos quidem vos hoc edicto meo statui, ut ejus mortem honestissima & frequentissima funeris deductione decoretis: cum esse neminem tàm aversum ab officio atque humanitate, tamque propè dixerim impium atque prophanum existimem, qui hac in re vocem ac cohortationem meam expectet. Mœstissimum quidem atque omnib. & animi & corporis virib. fractum atque conflectum ipsius virum si non consolari (difficilimum enim est, in tam recenti

centi atque gravi & penitus adacto vulnere consolationem ullam recipere) at certè ex nimio luctu & squalore, & tenebris nõnihil, uti spero, ad aspiciendam lucem hoc officio vestro revocabitis. Bene valete. P.P. 8. Septemb. Anno salutis 1598.

CARMEN LVGVBRE,

IN OBITUM

Nobilis & honestæ Matronæ,

MARIÆ FüRERIAE NORIBERGENSIS,

Mæsto ejus marito, clarißimo viro,

D. IOHANNI BVSEN-REUT AUGUSTANO, J. V. Doctori, & Reip. Noricæ Consiliario prudentiss. atque fideliss. simo,

scriptum à

NICOLAO TAURELLO

Medic. Professore in Altorfensi Noric. Academia.

Clare vir. O nostris miseranda incommoda rebus.

Quàm dolet ista mihi tua sors inopina, maleq;

Ius fatale necis: tua quo charissima conjux
Est erepta tibi subito, prolique tenellæ:
Quam tum crescentem, justosq; decebat in annos
Chara matre frui: dum firmior adderet ætas
Iudicium, & constans completo in corpore robur.
O quanto præclare tuam suspecto dolore
BUSENREUTE vicem: non nulla ex parte (ferendo
Quam reor esse meam. Mihi quæ perhonesta, meisque
Semper, & ex animo natis matrona favebat:
Fœmineiq; vigens haud ultima gloria sexus:
Teq;, tuamq; domum quæ sustentaverat: & quæ
Certa senescenti fuerat concredita vitæ
Cura tuæ: nondum completo munere conjux
Hæc te deseruit fugiens, prolemque, domumque.
Haud tamen in vitio est: cœlestes namq; per oras
Tracta volens abiit, Christumq; secuta vocantem.
Cujus amore feros truculenta in morte dolores
Pertulit: & vestri miserabile vulnus amoris.
Si malè continuæ fertur divulsio carnis:
O quantis animi cruciatibus atra jugalis
Mors vitæ nullis umquam reparanda diremit
Vincula temporibus. Quæ nobis maxima clades
Accidit. In toto quibus id quo charius orbe
Nil fuit, ereptum est. O dirum. O flebile damnum.

Tristi

Tristi quando tuum deploro, & lugeo versu:
BUSENREUTE: *meum jubeor renovare do-*
(lorem.
Qui tamen est miserè semper novus, atq; vigescit,
Dum sileo: tristiq; acquirit imagine vires
Conjugis amissæ. Quod nulla possumus arte
Evitare malum: forti, & patiente feramus
Pectore: quando brevi quæ præcessere sequemur:
Et mea me CATHARINA, *& te tua chara*
*(*MARIA,
Ad CHRISTUM *excipient optata voce vo-*
(catos.
Cum quo cælestes capiemus magna per auras
Gaudia viventes: nostroq; fruemur amore:
Quem neque mors tollet: neque plurima deteret
(ætas.

FVNEBRE CARMEN IN OBITUM HONESTISSIMÆ MATRONÆ VRSULÆ RÖTIN Argentoratensis Clarissimi viri D. ANDREÆ LINCKII J. V. D. & syndici Neogoræi conjugis Charissimæ.

QVI vestros olim suavi gratatus amores
Carmine descripsi: firmo tibi credita nexu
VRSULA *quando fuit reliquas spectabilis inter*
Inclyta quas habuit tunc Argentina puellas:
Iam deflere tuos LINCKI *clarissime luctus*
Cogor, & infandæ tua damna gemiscere mortis.
Viventem in lucem tua dum vult VRSULA *fœtum*
Prodere: teque nova properat ditare maritum
Prole: sibi dudum venturæ conscia cladis
Occidit. Atrociq; sua cum matre tenella
Morte perit proles, insons, ignaraque cædis

Quæ

Quæ miseram tristi perimit certamine matrem.
Hæc nostræ vis est, & dira potentia sortis.
Nostra hæc conditio est. Propè semper quicquid agamus,
In pejus vergit: sperataque gaudia luctum
Accelerant. Chara fraudatus conjuge, vestram
Cum velles augere domum charissime LINCKI;
Hanc miser infausto minuisti fretus amore.
Talia conjugibus brevis affert damna voluptas:
Fœmineum truculenta quibus violentia fati
Territat. Vt nimii discerptus pondere fructus
Decidit, âque suo desertus caudice ramus
Emoritur. Sed qui fugiant mortalia mortem?
Aut cur chare tuum LINCKI *hoc exasperem versu:*
Et mea quem peperit moriens CATHARINA *dolorem?*
Quæ tolli nequeunt facili mala mente feramus.
Densaque præteritis medeatur oblivio rebus.
Et nos cœlestis solentur gaudia vitæ:
Quæ spes non fallax nobis lugentibus offert.

Gesner.

PRECATIO.

O Deus ęthereas qui fulmine disjicis arces
Hanc tibi ſubjectam quęſo tuere do-
(mum.
Te Deus offẽdi: ſum fulmine dignus, & ipſa
Quę fovet infernas ſulphure pruna do-
(mos.
Te Deus offendi: ſed te tamen eſſe beni-
(gnum.
Te mihi perpetuo ſum memor eſſe patrẽ.
Te Deus offendi: ſed me quæcunq; manebit
Pœna: tuus quod ſim filius eſto memor.

FINIS.